cavit. Hæc ipsa res Antonium Cæs. adduxit, ut Pallantiensi-
A bus libertatem, & à tributis immunitatem dederit, & ex pa-
go urbem fecerit. *Pausan. in Arcad.*

Herodotus Choleos Ægyptiorum colonos esse credidit, & à Sesostre, qui primus omnium (ut ipse scribit) externis gentibus arma intulit, in ea terra relictos. Trogus uxorem non Sesostrem nominavit. Hi præterquam quòd capillo, & colore atro sunt, Ægyptiis perquam similes, verenda circuncidunt, quod proprium esse Ægyptiorum idem auctor arbitratus est, unde eum morem Phœnices, & Palæstini Syri acceperint. *Sab.l.3. Enn.1.*

Fama est, Deucalionis filium Hellenem fuisse. Hunc autem circa Phthiam, Peneï, & Asodi mediam, regnum tenuisse, & maximo natu filio imperium tradidisse: reliquosque foras dimisisse, ut sedem sibi quisque conquireret. E quibus Dorus: Doriensis Parnaso affines habitatores constituit, sibique superstites à se vocatos reliquit. Xuthus autem assumpta in matrimonium Erechthei filia, colonos ad Tetrapolim Atticæ terræ induxit. Oenoom, Marathonem. Probalinthum, & Tricorythum. Ex hujus filiis unus Achæus nomine, eædem invitus patrans, in oram Lacedæmoniam profugus sese recepit, & B ejus loci accolas Achæos vocari constituit. Jon verò superatis Eumolphi commilitonibus Thracibus, tantùm famæ, laudisque consecutus est, ut Athenienses illi Reipub. gubernacula committerent. Qui primùm quidem omnium multitudinem quaternas divisit in tribus, dehinc in quatuor degendæ vitæ vias: quosdam enim agricultores designavit, alios opifices, aliquos sacrorum faciendorum cutæ præfecit, nonnullos civitatis custodes. Talibus quidem ab eo ordinatis, ampliùs regionem sui nominis vocabulo appellatam reliquit. Qua indies magis mortalibus referta, Athenienses intra Peloponnesum ex Jonibus coloniam miserunt, & plagam, quam occupaverant, pro Ægialea Joniam nominarunt. Eodemque modo pro Ægialensibus Jones appellati, in civitates XII. dispertiti. At enim post Heraclidarum reditum ab Achæis pulsi, denuò Athenas repetiere: illinc verò cum Codri prognatus in Asiam Jonicam transmisere coloniam. Hi in Lydiæ, & Cariæ litore civitates duodecim condidere, totidem in partes seipsos dividentes, quot anteà Pelopponnesum occupantes. *Stra. lib.8.*

Duæ fuere Græciæ primariæ nationes, Græcum nomen adeò priscum est, ut etiam Græcis ipsis jam desitum sit. Apud Aristotelem tamen, & Leophronem, & Athenæum, atque C alios extat. Recentior vox ἕλλην ac Hellene: cujus fuere liberi duo ἴων & δῶρος. Accepto hi à patre imperio, suam uterque partem, ac nationem ab sese denominavit. Æolenses inde Dorienssium coloni, Jonum autem Attici. Cæterùm Athenienses Jonum appellationem abjecere: sive ob rerum gestarum gloriam, sive quòd Jones, qui in Asiam migrarant, atque ibi Panionium instituerant, in barbaros mores abiissent. At Æolenses in Siciliam, atque Italiam delati, ita sunt à Dorienfibus segregati, ut nihil de veterum morum gravitate remitterent. Integerrimi Dorienssium Lacones, Æolensium Thessali. Thessali namque à Dorienfibus, Æoli auspiciis, dicti sunt. Inde ut ingeniorum, & morum, ita vestium, festivitatum, & exercitiorum, & artium non unus modus. *Scalig. l.1. Poet.c.19.*

Prima Græcorum colonia in exteras terras externis ducibus fuit, quando Herculis fratris filius Jolaus Thebanus Athenienses, ac Thespienses in Sardiniam deduxit. Uno verò seculo, priusquam Jones Athenis proficiscerentur, Lacedæmonios, & Minyas è Lemno à Pelasgo ejectos, Theras Thebanus, Aurefionis filios, in eam insulam deduxit: quæ cùm anteà Calliste D appellaretur, ab eo Thera vocata est. Tertiam deduxere Jonum coloniam Codri Atheniensium Regis filii, cùm regnum Medonti fratri oraculum adjudicasset. Contribuerunt in eam se coloniam Jonibus è Græciæ populis Thebani primùm Philotam secuti Penelei nepotem: Orchomenii Minyæ, ob Codri liberorum cognationem: Phocenses præterea, exceptis Delphis: Abantes etiam ex Eubæa Phocenfibus naves ad transmittendum dederunt. Et ipsi classis duces extitere Philogenes, & Damon Athenienses, Euctemonis filii. Hi omnes cùm in Asiam appulissent, alios alii fines occuparunt. *Plut. in Achaicis.*

Lacedæmonii, regnante Polydoro rege justissimo, duas colonias in Italiam deduxerunt, Crotonem, & Locros ad Zephyrium promontorium. Eodem tempore bellum Messenicum exarsit. *Paus. in Lacon.*

Dorius Anaxandri Regis Lacedæmoniorum F. Coloniam in Siciliam duxit, quòd Erycinum agrum ad Heraclidas pertinere putarent, quoniam Hercules Erycen in singulari certamine peremisset, eo pacto ut vel boves Geryonis amitteret, vel regno Erycis potiretur. At Doricus ab Egestæis cum exercitu propè ad internecionem deletus est. *Idem ibid.* E

Regionis Corinthiæ Teneus vicus est, in quo templum Teneatis consistit Apollinis. Litteris proditum est, cùm Achias coloniam Syraculas duceret, maximum colonorum numerum ex hoc loco secutum ducem illum fuisse, eamque coloniam super alias posteà præcipua felicitate floruisse, denique suis institutis Remp. tenuisse. Asiano cuidam oraculum interroganti, utrum Corinthum transmigrare præstantius forer, ita responsum est, ᾠγαί μιν ὁ κέρδιστος, ἐγὼ δ' εἴω πενιέστης, Felix quidem Corinthus, ceterum ego Teneates esse malim. Hoc in loco Polybius Oedipum enutrisse fertur. *Strabo l.8.*

Sabini olim crebras colonias deduxerunt, propter multitudinem liberorum. *Varrol.3.c.6.*

Samnites è Sabinis oriundos esse, Græcorum quidam arbitrati sunt, & ob eam causam Sabellos diminuta voce nuncupatos. Ferunt Sabinos cùm difficile bellum adversus Umbros gererent, omnia eo anno nata, si vincere daretur, vovisse. Cujus voti haud multò post damnati, nata partim sacrificarunt: pueros Marti consecrasse contenti, adultos in coloniam miserunt. Hi Opicorum agro, veteribus inde incolis bello ejectis, sibi sedes quæsivere: quorum opes adeò deinceps creverunt ut LXXX. millia peditum, & octo equitum aliquando ad bellum instruxerint. Fuerint, qui scriberent, Lacones cum his posteà habitasse. Alii Pithanas fuisse volunt, atque Tarentinis oriundos. *Sab.l.3.Enn.4.* F

Tyrrhenos Romani Etruscos appellant, atque Tuscos. Græci hoc eos nomine nominarunt à Tyrrheno Atyos filio, qui ex Lydia colonos hanc in regionem misit. Atys enim ex prognatis Herculis, & Omphales unus, cùm sterilitate, ac fame populum emittere cogeretur, è duobus filiis sorte jacta, Lydum quidem regni successorem habuit, Tyrrheno autem majorem dans populum, foras abire jussit. Hanc illa tandem ingressus oram de suo nomine vocavit Tyrrheniam. Cùmque ædificandis urbibus Tarcontem præfecisset, è quo Tarquinii urbs cognomen accepit, civitates XII. condidit. Hunc ab ineunte puerìtia canum fuisse fabulantur: tanta jam tum in eo efflorescebat sapientia. *Strab.l.5.*

* Anno Domini 1518. Ferdinando Cortesio duce, Hispaniarum rex vi in suam potestatem redegit ingentem, & florentissimam Americæ regionem, quam quod anonyma nobis esset, Novam Hispaniam appellavere. Estque auro, omnique mercium genere abundans. Duxerunt in hanc colonias frequentes G omnis sexus, & ætatis Hispani, eamque suæ potestatis non modò, sed & indolis, geniique fecerunt: sic ut meritò nova Hispania haberi debeat, ut cujus incolæ penè omnes ab hac gente.

Etiam Batavi Regi suo perduelles ab annis paucis novas colonias duxerunt ad insulas quasdam Indiarum à se occupatas, ut in iis, & Calvinismi, & generis sui germen plantarent. Verùm evanuit mox conatus ille omnibus vel inedia, vel intemperie regionis vita defunctis, & ad atrium, quod ante Paradisum sibi fingit Calvinus, translatis: qui quidem mortui

—— *Conjunctaque fata ferentes*
Ditarunt stygium perpetuò ære senem.

Color.

Definitio, & Etymologia.

COlor Græcè χρόα, vel χρῶμα, χρωματίζω, coloro dicitur. Est autem color extremitas perspicui in corpore terminato: *secund. Arist. de sensu, & sensato.* H

Color est qualitas secunda, ex commistione quatuor qualitatum primarum derelicta, alterativa visus de potentia ad actum.

Color est lux incorporea, in extremitate diaphani terminati. *secund. B.Thom.1.sentent. dist.17.q.1. art.1.*

Divisio, & Origo.

Duo sunt genera colorum. Quidam enim sunt apparentes, qui ex solo lumine juxta diversum illius adspectum corporibus affunduntur: ut constat in iride, nubibus, & collo etiam pavonum, psittacorum, & similium avium, quæ juxta diversos aspectus lucis, mirificos etiam colores exhibent videntibus. Ideòque hi colores à lumine non distinguuntur, eoque allusit *Virgil. Æneid. l.6.*

—— *Rebus nox abstulit atra colorem.*

Alii sunt colores veri, qui non à luce, sed à commixtione varia elementorum, & primarum qualitatum nascuntur: qualitates

tes tamdiù, quàm subjectum manet, neque variantur pro di-
A verso respectu ad lucem. Sed ex variis gradibus qualitatum primarum, & secundarum permixtis, varietas in veris coloribus oritur. Quamvis lumen propinquum, vel remotum etiam quidquam conferat ad perspicuitatem respectu nostri, quod tam in cororibus extremis, quàm mediis locum habet.

Colores extremi sunt albedo, & nigredo: prior autem posteriore est perfectior, ideòque veteres diis eum colorem affixerunt. Immò DD. sacri etiam Angelis hunc colorem tribuunt, quoties apparuisse eos in nova lege scribunt, gaudiumque annuntiasse, stolis albis amictos fuisse testatur,

Ita & Joan. *Apoc.1.* Verbum carnem factum describens ait, Capillos ejus tanquam lanam albam, & nivem candidos esse.

Mediorum colorum innumeræ sunt penè species, sed præcipui quinque; ita ut numeratis extremis, septem fint quasi capita, ad quæ reliqui reducantur: nimirum Albus, Purpureus, Ruber, Flavus, Viridis, Cerulcus, niger: quorum omnium magna est varietas.

Purpureitriplex est distinctio, una, quæ in croco est, & rosis: altera, quæ in violis, & amethysto lapide: tertia, quæ propria est conchylii.

B Rubrum comitantur rubicundus, rutilus, sanguineus, gilvus, spadix, igneus, flammeus, puniceus, vinosus.

Sub flavo numerantur mellinus, pallidus, luteus, galbaneus, buxeus, citrius, croceus, ictcrus, aureus, rufus, fulvus, æneus, mustelinus, ferrugineus, pullus, roanus, tanatus, regius, leonatus, cereus, & alii.

Ad viridem pertinet erugicus, herbaceus, prasinus, luridus.

Ad ceruleum cesius, plumbeus, glaucus, venetus, & similes.

Nomina.

Colores nomina sua habent sæpe à rebus, quibus insunt, aut in quibus excellunt, ita à cœlo, rosa, herbis, mari. Item à metallis, ipsisque elementis. Ab animalibus quoque, & lapidibus.

Quamvis puris elementis nullus insit color, cùm non habeant mixturam primarum qualitatum, si tamen aliquis in nostris videtur, facit alterius admixtio.

Mutatio.

Mutantur secundùm varios modos, colores: nempe, vel secundùm repræsentationem, sive apparentiam, sive reipsa. Priori modo id fit, cùm alii aliis superinducuntur prioribus servaC tis, ut patet in tinctura. Reipsa immutantur, cùm prior integrit, ejusque vicem alius subit: ut in segete priùs viridi, mox flava: in capillis nigris, posteà canis.

Subjectum.

Ubi & de coloribus apparentibus.

Colorum subjectum est, corpus mixtum, illud enim primarum qualitatum est capax: unde diximus pura elementa colorum expertia.

Colores apparentes nulli insunt subjecto, sed ab oculo tales, vel tales proficiscuntur, prout reflexio luminis in eundem recipitur. Eorum autem materia, in qua, sive subiectum est vapor, exhalatio, vel aer densatus, vel etiam aqua. Locus, est interstitium regionis aereæ. Forma, lux est varìè modificata. Efficiens, sunt ea, quæ lumen illud ejaculantur. Finis pulchritudo universi.

Diversitas Unde.

Juxta variam materiæ, in quam lux incidit, dispositionem, aut varietatem aspectus luminosi, qualitatis medii, aut specierum visibilium, quæ ad oculos feruntur, denique juxta intensionem,
D aut remissionem luminis oritur in coloribus apparentibus diversitas.

Identitas, & Diversitas In Filiis.

Communem colorum causam diximus temperamentum quatuor primarum qualitatum, quarum permistio varietatem inducit.

Itaque si materna, vel paterna virtute convenientia oritur in generato nativi temperamenti, jam filii nascentur similes parentibus.

Sed quoniam nonnunquam in fobole est qualitas impressa, qualem avus, aut proavus v.g. habuit, ut, quod aliquando illis similes nascantur, parentibus dissimiles. Cujus illustre exemplum fuit Nicæi nobilis Pyctæ Byzantii geniti, qui, ut *Plin. refert l.7. Nat. hist. c.12.* adulterio Æthiopis natus, matre nihil à cæteris colore differente, ipse atri coloris filium genuit.

Cæterùm imaginationem quoque magnam vim habere ad temperamentum, & vim formatricem modificandam, & varios colores fœtui inducendos, experientia constat. Unde

Plinius hausta, ait, sub ipso conceptu imago: reputatio est similitudinum. E

Hinc ex utroque parente albo Æthiops nasci potest, & ita accidit, ob imaginem Æthiopis, quem in cubili habebant depictum, oculis obversantem.

Quin, & Gallina inter concipiendum adspectu milvi territa, pullum exclusit milvino capite.

De Jacob nota est historia ex *Genes.c.30.* quomodo virgas populeas decorticatas posuerit in canalibus, ubi effundebatur aqua ante oculos arietum, & ovium, & in earum contemplatione conceperunt, & pepererunt varia, & maculosa, sparsoque vellere.

Narrat *Gal.* Mulierem ex viro turpissimo elegantem filium concepisse, intuitu pulchræ picturæ. *Lib. de Theriaca ad Pison.*

Scribit *Quintilianus*, Mulierem adulterii accusatam, ob prolem quæ nec patrem, nec matrem refertet, sed alium quendam, à supplicio liberatam, quòd pictura huic similis in cubiculo appensa fuisset.

Requisitus Ad Pulchritudinem.

Ad Pulchritudinem, præter concinnam membrorum compositionem, requiritur coloris suavitas, qualis non est v.g. in F atro colore, qui in humano corpore ex ardore solis, & intemperie primam originem duxit: nec in pallido, qui ex morbo, aliove vitio provenit.

COLORUM USUS VARIUS.

Et cujus Rei sint signa?

Index mæstitiæ est pullus color: utimur omnes
Hoc habitu, tumulis cùm damus inferias.
At sinceri animi, & mentis stola candida puræ:
Hinc Sindon sacris linea grata viris.
Nos sperare docet, viridis. Spes dicitur esse
In viridi, quoties irrita retro cadit.
Est cupidis flavus color, est & amantibus aptus,
Et scortis, & queis spes sua certa fuit.
At ruber armatos equites exornat amictus,
Indicat & pueros erubuisse pudor.
Cæruleus nautas, & qui cœlestia vates
Attoniti nimia religione petunt.
Vilia sunt gilvis, nativaque vellera burrhis:
Qualia lignipedes stragula habere solent.
Quem curæ ingentes cruciant, vel zelus amoris, G
Creditur hic fulva non malè veste tegi.
Quisquisquis fortè sua contentus janthina gestet?
Fortunæ æquanimis tædia quique ferat.
Ut varia est natura coloribus in gignendis,
Sic aliis aliud: sed sua cuique placent.

Ex Andrea Alciato Emblemate CXVII.

Scriptores.

De coloribus nativis, & factitiis, *Plin.l.35.c.6.* Et qui colores udo non inducantur, *ibid.7.* De coloribus libellus *Amon. Thylesii, & Aristot.* & apud plerosqi qui de Urinis scribunt. *Vide etiam Problemata Aristot. sect.10.* ejus librum de coloribus ex translatione. *Cæl. Calagmini. Plut. de Placit. l.15. Cæl. Rhodig. l.17.c.1. l.26.c.16.*

Colossus.

Quis.

MOles statuarum Colossos vocant, turribus pares. Talis est in Capitolio Apollo, translatus à M. Lucul- H
lo ex Apollonia Ponti urbe triginta cubitorum, centum quinquaginta talentis factus. Talis in campo Martio Jupiter à Claud. Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus à vicinitate theatri. Talis & Tarenti factus à Lysippo quadraginta cubitorum. Mirum in eo, quod manu, ut ferunt mobilis, ea ratio libramenti est, nullis convellatur procellis. Id quidem providisse & artifex dicitur, modico intervallo, unde maximè flatum opus erat frangi, opposita columna. Itaque propter magnitudinem, difficultatemque moliendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, cùm Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret. Ante omnes autem in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lydius, Lysippi suppradicti discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræmotu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti quàm pleræque statuæ. Vasti specus hiant de fractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere

stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum
A trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu regis De-
metrii, (Saraceni Rhodo capta, ære hujus statuæ DCCCC.
camelos onerasse feruntur. Ab hoc Colosso Rhodii voca-
ti Colossenses, & Rhodos Colossicola. *Vide Sab. lib.6. En-
nead.* 8.) Sunt alii minores hoc in eadem urbe Colossi cen-
tum numero: sed ubicunque singuli fuissent nobilitaturi lo-
cum. Præterque hos Deorum quinque, quos fecit Bryaxis.
Factitavit Colossos & Italia: videmus certè Apollinem in
bibliotheca templi Augusti Thuscanicum quinquaginta pedum
à pollice: dubium ære mirabiliorem, an pulchritudine. Fe-
cit & Sp. Carvillius Jovem, qui est in Capitolio, victis Sam-
nitibus sacrata lege pugnantibus, è pectoralibus eorum, ocreis-
que, & galeis. Amplitudo tanta est, conspiciatur à Latiario
Jove. Verùm omnem amplitudinem statuarum ejus generis
vicit Zenodotus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis,
per annos decem, H.S. CCCC. mani pretio. Postquam satis ibi
artem approbaverat, Romam accitus est à Nerone: ubi de-
stinatum illius Principis simulacrum colossum fecit CX. pedum
longitudine, qui dicatus Solis veneratione est, damnatis sce-
leribus illius Principis. Ea statua indicavit interisse fundendi
æris scientiam, cùm & Nero largiri aurum argentumque para-
B tus esset, & Zenodotus scientia fingendi cælandique nulli ve-
terum postponeretur. Quantoque major in Zenodoto præstan-
tia, tanto magis deprehendi æris obliteratio potest. *Plin.
lib.34.cap.7.*

* Ceterùm advertat Lector, quòd licèt Rhodios diximus
vocari Colossenses à Colosso illo Solis, qui mundi mirabilibus
annumeratur; tamen non esse Rhodios, ad quos S. Paulus
scripsit Epistolam, uti abusivè arbitrati *Suidas, Zonaras*, &
alii: sed Epistola ad Colossenses, à Paulo ex vinculis scripta
est ad populum fidelem Colossæ, quæ civitas est Phrygiæ, vi-
cina Hierapoli, & Laodiceæ, uti *Plin.* docet *lib.5.c.32.* quæ
sub Nerone terræmotu concidit, ut narrat Orosius vocatur
nunc Chone juxta *Theophylactum*, ubi celebris illa apparitio S.
Michaelis Archangeli contigit.

☞ *Consule Tit. de Statuis. Pyramidibus.*

Columbæ.

TABELLARIÆ.

C ☞ *Vide Locum de Epist. & Nuntiis.*

Columnæ.

OBELISCI.

Erectæ in monumentum rei memorandæ, aut ad memoriam alicujus.

CUm Israelitæ Jordanem fluvium maximum, tempore mes-
sis, quo solet abundantissimus esse, sicco pede transvis-
sent, Josue illorum dux in medio Jordane duodecim lapides
erexit, quo loco steterant pedes sacerdotum, fœderis arcam
portantium, in perpetuam rei memoriam. Quinimmò ex Do-
mini mandato, duodecim viri, ex singulis tribubus singuli ex
medio Jordanis, ex eo ipso vestigio, in quo sacerdotum fixi
pedes steterant, lapides VII. ceperunt, & singuli singulos, in
proximæ noctis statione, quæ fuit in Galgalis, depositerunt.
D Eos Josue eo in loco erexit. *Josue c.4.*

SAMUEL propheta inter sacrificandum Palæstinos, divino au-
xilio per tonitrua territos, vicit: iisque victis, saxum divini au-
xilii inter Masapham, & Sen erexit. 1. *Reg.c.7.*

ARISTOTELES affirmat, eas columnas, quæ nunc Herculis
appellantur, Abila Africæ, Calpe Europæ, antequam hoc
nomen sortirentur, Briarei, alii Saturni, dictas esse. Postquam
verò Hercules terram, mareque purgasset, & sine dubio bene-
meritus esset de genere mortalium, in honorem ejus, Briarei
memoriam ipsos delevisse, & Herculis columnas nominasse.
*Æl. lib. Var. hist. Consule Eustathium, in Dionysium, Melam,
lib.1.& 2. Strabon. lib.3. Philostrat. de Apollonii vita l.5. Pin-
dari annotationes hymno Nemeo 3. & Hesychium in vocabulo
στῆλας Ἡρακλέους.* Ipse Dionysius de situ orbis, Liberi patris co-
lumnas in extremis Asiæ partibus statuit, ἐνθάδε τὰς στήλας Διβαι-
γενὴς διωνύσου ἱέσσω πυμμέσσιν παρὰ βόσπορον ἀκεανοῖο ἐνθὰ δὲ δυσπόριον ἐν
ἠόσσοιν. *Curt. l.7.* Transierant, inquit, jam Macedones Liberi
patris terminos, quorum monumenta lapides erant crebris
intervallis dispositi, arboresque proceræ, quarum stipites
hedera contexerat. *Brodeus in. Epigr. Græcis.*

Theseus cùm agro Attico solido Megaricum adjunxisset, ce-
E lebrem illam collocavit in Isthmo pilam, inscripsitque ad de-
terminandum agrum Epigramma duobus trimetris: quo id
quod Orientem spectabat, ita habebat:

Hæc non sunt Peloponnesus, Jonia.

Quod verò ad occidentem, hujusmodi erat:

Sunt Peloponnesus hæc, haud Jonia.

Plut. in Theseo.

C. Menio, qui priscos Latinos (quibus ex fœdere tertias præ-
dæ Rom. Pop. præstabat) vicerat, eodemque in consulatu sug-
gestu Rostra devictis Antiatibus fixerat, anno urbis 416. co-
lumna posita est. Item C. Dullio, qui primus navalem trium-
phum egit de Pœnis, quæ est etiam nunc in foro. Item P. Mi-
nucio præfecto annonæ extra portam Trigeminam unciaria stipe
collata, nescio an primo honore tali à populo. anteà enim
à senatu erat. *Plin.lib.34.c.2.*

Septentrionales populi columnas non arte, sed casu quodam
ex durissimis montibus cinericii coloris, vel terræmotu, vel
fulmine dejectas, altitudine XV. XX. vel XXX. pedum, lati-
tudine quatuor, vel sex pedum, statuarum loco erigunt, cha-
racteribus inusitatis inscriptas ordine tali, ut recta quidem, &
linearis columnarum dispositio pugilum certamina designet:
F quadrata bellatorum: orbicularis familiarum sepulturas:
clineata verò, trophæa ex hoste erepta. Solitudines hisce
columnis sunt, plenæ præsertim circa civitatem Scarensem.
Scriptura à dextra basi columnæ ad summum ascendens,
per sinistram deflectens in sinistram basim desinit, vel certè
inde quoque in dextram ducta rursus ascendit, testitu-
dinis orbes imitata. *Vide Olaum Magnum de Gentibus Senten-
trional. lib.1.c.29.& 30.*

FRIDERICUS Ænobarbus Imp. ob Alexandrum III. Pontifi-
cem, quem Veneti dedere nolebant, classe sexaginta navium,
& amplius, præfecto illi Othone filio, in Histricum usque si-
num penetravit, contra quem Sebastianus Cianus Princeps
Venetorum, navium numero aliquanto inferior, sed animi
præstantia, & suorum virtute multo superior, juxta Salbo-
rion Histriæ promontorium congressus, vario quamvis inter-
dum marte victor evasit: disiecta universa classe, triremique
regia cum ipso Othone capta. Extat adhuc marmor pervetus
in eo loco, ubi pugnatum est, cum elogio rei tam præclarè ge-
stæ monimentum. *Egnat. l.2.c.3.*

* Anno Christi MDXCIV. postquam Joannes Castellus
adolescens litteris adhuc politioribus incumbens Parisiis in G
Collegio Claremontano, nescio quo spiritu impulsus, in
personam Regis Henrici ejus nominis I V. insurrexisset,
eumque Parisios reducem cultro petiisset, quem in jugu-
lum ejus destinaverat, quamvis superius labrum duntaxat
impeteret, domus quæ eum educaverat deliberato Senatus
Consulto funditus diruta fuit, ejusque aream marmorea
pyramis sive columna quadrata, perenni tanti sceleris mo-
numento, aurea Cruce & Cardinalium virtutum imagini-
bus decorata occupavit: quamvis post annos paucos jus-
su Regis ejusdem diruta fuerit, & cum ea deleta infamiæ
nota, quam falso, & sine ulla omnino causa Religiosis Socie-
tatis Jesu, tanquam hujus parricidii conscriis, Hugonotticæ fac-
tionis fautores irrogarant. Cujus rei indicium, quod cum pri-
mo velut tumultu excedere finibus Galliæ tanquam Reipubli-
cæ perturbatores jussu Senatus cogerentur. Post paucos annos
discussa objecta noxa, & innoxia inventa, pristino honori,
bonisque sint restituti, atque illi ipsi Regi eidem à sacris etiam
confessionibus fuerint.

Suprascripta verò Columna præter alias inscriptiones, hos H
quoque versus legendos proponebat.

Ex S. C.

Hic domus immani quondam fuit hospita monstro,
Crux ubi nunc celsum tollit in astra caput.
Sanciit in miseros pœnam hanc sacer Ordo Penates,
Regibus ut scires sanctius esse nihil.

Scena illius in æs incisum, & typis conceptum, unà cum arre-
sto adversùs impium Sicarium, & Inscriptionibus, prodiit
Parisiis apud Joannem le Clercq anno 1595. Fuit autem solo
rursus æquata, anno sal. 1606. ejusque in locum fons elegantis-
simus successit.

* Anno insequente hoc infortunium, Rex Henricus missa
ad Rom. Pontificem Clem. VIII. illustri, & regia legatione
ad obtinendam censuræ, qua ob hæresim innodatus bacte-
nus extiterat, abolitionem, obedientiam S. Rom. Ecclesiæ
præ-

A præstitit: abiuratæque hæresi, Christianissimus Rex voce, &
professione haberi voluit. Itaque per Pontificem absolutus,
demum illius rei tabulas accepit sub finem anni, existens in ca-
stris ante feram munitissimam arcem. Cæterùm in tantæ rei me-
moriam columna marmorea in Urbe erecta est, cui hoc mne-
mosyn non inscriptum factæ reconciliationis, quæ accidit XV. Kal.
Octob. M.D.XCV.

In Suppedaneo.

D. O. M.

*Clemente IIX. P. M. F. Carolus Anisson Vicarius, Ord. S.
Antonii de suo P. V. Non. Maii* CIↃ. IↃXCVI.

Ad Latera, utrinque.

AD MEMORIAM.

*Absolutionis Henrici IV. Franc. & Navar. Reg. Christianissimi.
Q. S. A. XV. Kal. Octob.* CIↃ. IↃXCV.

* Visitur Gandavi celebertima Frandriæ metropoli, Co-
lumna marmorea, quam in media fori capacissimi area collo-
cari jussit urbis illius magistratus Anno M.DC. super impositam
habens auratam imaginem Carolo V. Imp. cujus adhuc Cunæ
isthic servantur, in honorem fortissimi illius Imperatoris, cui
natale solùm urbs illa obtigit. In columnæ suppedaneo hæc le-
guntur.

*De Carolo V. Imp. Cæs. Aug. pio, Fœlici. Turc. Afric. Ger-
B man. Gal. Geld. Hispan. Sicil. atque Indiar. Regi, Flaud.
Comiti P. P. S. Imp. Vindici. Quietis auspicis.
Principi Potentiss. Victori, ac triumphatori perp. magno.
Max. universi Christ. orbis bono, Deo volente, cœlo fa-
vente huic urbi suæ Fland. Max. feliciter innato. Anno
salut. Christ.* CIↃ. IↃ.C. *S. P. Q. G. Posuit.*

Posteri conservanto.

* Francfurti ad Mœnum nuper anno M. DC. XVI. quidam
factiosi, adversùs Cæsar. Majestatem facti insolentiores hære-
ticorum more, ex quo res Austriacas nonnihil per novas re-
belliones, & protestantium colligationes supprimendas sperare-
nt; in Magistratum, & cives opulentiores debacchari cœ-
perunt, Judæos depredari, & quidvis non pro arbitrio aude-
re. Donec jussu Imperatoris repressi, Duce eorum homine
nullius sortis vinculis tradito, & in quatuor partes disfecto.
ejusque domo diruta, in cujus locum Columna quadrata visi-
tur hanc ostentans inscriptionem, quam anno 1627. legimus, &
descripsimus, ac prioribus adseruimus.

*Vincentius Fetmilch Dulciarius, tribubus, falsa spe, Lit-
C teris & sigillis seditiosè motis, Magistratu mutato, Judæis
publicatis. Principum Commissariorum Legatis derisis, ipsaq;
Cæsarea proscriptione, occupato commeatu, ac propugnaculis
pertinaciter spreta: Cùm bonos non semel in summam tropi-
dationem tam sponte, quam corruptus adduxissent pridie Kal.
Martii M.DC.XVI. digitis perjuris, capiteque ad pontem è tur-
ri porrecto plexus, corpore verò de quatuor furcis diversas in
vias publicas suspenso, conjugi liberisque exilium, sibi domus
dejectæ Loco, cippum hunc infamem promeruit.*

☞ *Requirat Lector pleraque hujus argumenti, sub Tit. de*
CRUCE. *Item resumitur præsens argumentum
in Titul. de Obelisco.*

* COLUMNÆ.

IN TEMPLIS COLLOCATÆ.

SALOMON Rex potentissimus, extructo augustissimo illo
Templo, duas columnas in illius ingressu collocavit, quarum
D dextram Jachin, & sinistram Booz nominavit: hoc est, unam
appellavit directio, à radice *cun*, quod est dirigere: & forti-
tudo aliam, juxta interpretationem LXX.2. *Paral.3. versult.* ut
nempe per illas votum suum significaret: quod erat, ut tem-
plum istud firmiter diù staret, directioque tum Dei ad popu-
lum, tum ipsius Regis ad utrumque perenniter maneret. Erat
autem utraque columna coronata. Allegorice verò Columnæ
hæ Ecclesiæ stabilitatem adumbrant, ut quam Paulus vocat
columnam, & firmamentum veritatis 1. *ad Timoth.c.3.* videan-
tur S. Hieron. Beda, & Eucherius, *in c.7. lib.3. Regum*, de his
columnis differentes.

Romæ prope Thermas Arippinas conspicitur Templum ad-
modum vetustum, quod Pantheon, vel à circulari figura,
quia rotundum: vel quod Matri Deum, omnibusque Diis sa-
crum esset, dixerunt. Agrippa illud extruxit in honorem Jo-
vis Ultoris, ac posteà Augusto voluit consecrare, sed illo ab-
nuente, Marti, & Veneri fuit dedicatum. Sunt in eo columnæ
admodum proceræ, ita ut LXXVII. brachia altitudine excedant,
ex marmore, nobili structura, & epistyliis affabrè concinna-
tæ, Syracusana, ait Plinius, sunt in Pantheo capita columna-
rum à M. Agrippa posita, in columnis templi.

Augustus victor totius Ægypti, quam Julius pro parte
debellaverat, multa rostra ærea sustulerat de victoria navali,
quibus conflatis quatuor æneas columnas effecit, quæ à Do-
mitiano in Capitolio postmodùm sunt positæ. Nunc verò in
Lateranensi Ecclesia sunt collocatæ: has intellexit Virgil.
cùm dixit.

—— *Surgentes ære columnæ.*

Legimus autem Syllam ex Jovis templo Athenis, co-
lumnas adibus Capitolinis vexisse.

In Æde S. Mariæ de Ara Cœli est ara quatuor colum-
nis pulcherrimis exornata, ubi legitur titulus hujusmodi.
A cubiculo Augustorum.

Cæterùm in Urbe Romana variæ columnæ conspiciuntur
monumenta magnitudinis Romanæ. Suntque celebriores Ro-
strata, Trajani, Julii, Menia, Bellica, Antonini Pii, milliaria. De
quibus consulat Lector *Barthol. Marlian. in Topograph. urbis
Romanæ.*

☞ *Vide* OBELISCUS.

Coma.

☞ *Pete ex Loco de Barba, Capillis, &c.*

NIcander sive Charillus quærenti, Quare comam, & F
barbam promittant Lacones? Quia omnium, inquit,
speciosissimus est, & minimæ impensæ viro suus proprius
ornatus. *Plut. in Apophth.*

Excolebant Spartiatæ comam, commemorantes dictum
quoddam de ea Lycurgi. Formosiores ab ea speciosiores,
deformes effici horridiores. *Item.*

Augustus Cæsar omnis elegantioris cultus negligens, una
etiam tempore pluribus tonsoribus operam dabat. *Suet.*

☞ *Consule Tit. de Abrasione, Barba, Capillis,
Clericis. Tonsura.*

Comanorum Sacerdotes.

☞ *Quære Ethnicorum Religio.*

Combusti.

ROGO. PYRA. IGNE. SUPPLICIO.

☞ *Quære Tit. de Morte. Mortis Instrumenta extra
Corpus. §. Igne. Pyra. Rogo, &c.*

Comedones. Comessatores.

CERTAMINA CIBI, ET POTUS.

☞ *Quære in Tit. de Cibo. §. Intemperantia circa cibum. Item
tit. Gulos. Ubi pleraque exempla hujus rei.*

Comœdiæ. Comici.

☞ *Vide Locum Poetæ.*

Combibones. Combibere.

PRÆBIBERE.

PLeræque nationes Græciæ, quæ bonam disciplinam ha- H
buerunt, & instituta retinuerunt prisca, in vino magistra-
tus continebant. Nam Andria apud Cretes appellata, & apud
Spartiatas Phiditia, curiarum arcanarum, & conciliorum op-
timatum instar fuere: sicut apud Thessalos Prytaneum, &
Thesmotesium. *Plut. l.5. q. con.9.*

Pittacum Alcæus, non quò tardè cœnaret, vocavit
ζοροδοραιδάν, sed quòd obscuris ferè, & abiectis compo-
toribus gauderet. *Plut. l.8. Con.q.6.*

Theocritus in Hyla, Herculem, & Hylam amicos fidissimos
eodem convictu usos scribit: Οἱ μέων ἄμφω ἐπαίροι ἀεὶ δαίσαντο
τρόπεζαν, id est, qui mensam super eandem cœnabant ambo,
fidi nimirum, ut amici.

ALEXANDER Macedo ad unumquemque calicem multo col-
loquio sermonem protrahere solebat. *Curtius.*

Zenodotus, & Aristophanis interpres in Vespis ex Theo-
pompo, & Apollodoro ostendit. Olim peracto convivio sub-
blataque mensa meracum inferri consuevisse. Is calix ἀγαθὸς
δαίμονος

δαίμονος, id est, boni genii appellabatur. *Athen. lib. Dipno-*
A *sophistar.* 11. palàm demonstrat, à lotione, qua cœnati ute-
bantur, calicem inferri solere, qui dicebatur ἀγαθοῦ δαίμονος.
Qui sanè mos hodieque durat Germanis. Id poculum dictum
μετάνιπτρον, quòd à lotis manibus adferretur. Qui mos & ho-
die religiosè servatur apud Britannos. Hunc calicem quisquis
accepisset, præbibebat alteri cuipiam. Erat autem mos apud
veteres, ut propinantes, aut bibituri, Deum quempiam, aut
hominem hominis causa præfarentur, eumque gignendi causa
proferebant. Quemadmodum apud Lucianum in Lapithis Al-
cidamus Dynicus sponsæ Herculis nomines propinat.

Idem Horatius.

Da lunæ properè novæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris.

Erasm. in Adag.

Fertur Uticensis Cato quandoque ad auroram, cum apicis
perpotando vigilasse, non ut mergeret, sed ut reprimeret cu-
ras: quod Plato non improbavit, cùm largiori vino aliquanto
refici animos putaret. *Plut.*

Marius septimo consulatu suo, redeunte Romam L. Sylla,
B cùm ante oculos errores, exilia, periculaque maris, ac terræ
adduceret, in varias, dubiasque partes distrahebatur, & no-
cturnis, turbulentisque somniis perterrebatur. Videbatur enim
continuò quendam audire dicentem: Dura sunt cubilia leo-
num. Sed cùm maximè vigilias pertimesceret, intempestivis
potationibus, & ebrietatibus indulgebat, tanquam per somnum
animi cogitationes vitaturus esset. *Plut.*

* Martinum Lutherum Hæresiarcharum nostri sæculi Prin-
cipem, ferunt non alia ratione conscientiæ remorsum, quem
subinde ob apostasiam experiebatur, superasse, quàm assidua
compotantium societate, narratur autem de illo, quod vesicæ
onus quodam die egesturus, dum ad liberiorem aerem venis-
set, manu aquaticulum percutserit, sibi ipsi succensens, & se-
cum dixerit: Martine, bellè hic tecum agitur, an etiam post
mortem hæc exspectanda, emissoque ejulatu, reversus ad com-
bibones spumante patera suspirium hoc diluerit. Quod etiam
admodum familiare est iis, qui omni amisso pudore, & fortuna-
rum suarum, ac probitatis excidio perpesso, in quiete, turpique
otio vitam degunt, ut inter continuatas compotationes, &
ebrioforum collegia, velut superent eum rançorem, quem im-
proba vitæ sors invexit, nullum timori divino, quo configantur,
aut inspirationi cœlesti aditum permittentes.

C ☞ *Requiratur Tit. de Bibacib. Ubi multa de modo, & cir-*
cumstantiis, effectis, fine bibendi, aliaque huc pertinentia.

Comitari. Comitatus.

QUOS.

PARENTES.

☞ *Vide Tit. Fidei erga parentes.*

Mortuos.

☞ *Vide Pompæ funebris honorem.*

APud Athenienses mortuorum filiæ, innuptæ etiam, cæte-
ræque cognatæ mulieres in funus prodibant, ac mortuum
usque ad rogum sequebantur. Hoc ipsorum institutum tetigit
Terentius in Andria. *Victor. l. 3. Var. lect. c. 12.*

D Lysias in defensione, quam scripsit Eratostheni, qui adulte-
rum domi deprehensum occiderat: affirmat interitum mattis
otiginem fuisse omnium suorum malorum: quòd uxor, cùm in
funus processisset spectata primo ibi sit à delicato illo adolef-
cente, cum quo postea consuetudinem stupri habuit. *Victor.*
lib. 3. Var. lect. cap. 12.

AD QUID. *Ad convivium.*

Umbræ videntur ab Socrate esse ortæ, qui Aristodemum in-
duxit non vocatum, ut iret secum ad Agathonem: cui jocu-
larium quiddam accidit. Imprudés ille reliquit in via post se So-
cratem, ac ingressus prior est, planè umbra antecedens cor-
pus, quod à tergo lumen habent, post tamen in præbendo ho-
spitibus convivio maximè principibus viris, necessarium fuit,
ut cum ignorarent comites, qui in honore apud eos erant, ho-
spiti permitterent invitandi arbitrium, sed definirent nume-
rum, ne accideret eis idem casus, qui accipienti epulo ruri
regem Philippum. Is multos secum traxit, cùm veniret, & cœ-
na instructa paucis erat. Conspicatus ergo perculsum hospi-
tem, significavit per internuncium amicis, ut placentæ locum E
relinquerent. Quam dum expectabant parcius attingebant ap-
posita. Ita affatim cœnæ omnibus fuit. *Plut. l. 7. Con. q. 6.*

Rom. olim absque filiis adhuc in ætate positis puerili non cę-
nabant foris. Uti etiam Lycurgus in phiditia sua Pueros indu-
xit: ut assuescerent non incompositè, sed cautè deliciis frui,
quòd majores natu custodes haberent, & speculatores. Præ-
tereà, ut patres ipsos hoc in majore verecundia, & frugalitas
præsentibus filiis contineret. Ubi enim impudentes sunt senes,
ut Plato ait, ibi juventus quoque impudentissima fit, oportet.
Plut. in q. Rom.

Sacrificium.

Cùm Petitius, & Quintus P. Scipionem majorem longa ora-
tione in concione accusassent: Hoc, inquit, die cum Carthagi-
nensibus, & Annibale signis collatis feliciter pugnavi. Itaque
corona sumpta in Capitolium sacrificatum ascendo. Cui cordi
est, ferat de me suffragium. Ita fatus ascendit, & Populus
universus Accusatores relinquens, concionantes, est eum secu-
tus. *Plut. in Apophth.*

Explorandum. F

Apud Homer. Iliad. x. Diomedes iturus exploratum ca-
stra Trojanorum, comitem postulavit: datusque illi est
Ulysses.

Exilium.

Arist. de Poet. scribit, cùm Lydi ab Aeolibus premerentur,
& Smyrnam relinquere statuissent, principesque per præco-
nem edixissent, ut quicunque ipsos sequi vellet, urbe egrede-
retur: ibi tum Homerus quoque adhuc puer (Melesigenes dic-
tus) ait, & se velle ἱμείρειν, idest, sequi Hinc Homeri nomen
ductum. *Plut.*

QUANDO.

Noctu.

TIBERIUS Gracchus, cùm legem Agrariam tulisset adversùs
opulentorum tyrannidem, Q. Metellus exprobravit illi, patre
ejus censore, cùm reverteretur à cœna domum, lumina cives
restinguere solitos, quòd timerent, ne longiùs, quàm opor-
teret, conviviis, & poculis indulsisse viderentur: huic verò no-
cte audacissimos quosque mendicissimos de plebe prælucere.
Plut. in Tiberio.

Comitatus. Comes.

NOMEN DIGNITATIS. G

COmites dicti primitus, qui Regem, aut Principem supre-
mum comitabantur: sive ut Pyrrho placet, qui ipsi plu-
res se sequentes habebant. Erantque varia officia, quibus no-
men Comitis adhærebat.

Apud Ammianum legimus de Comite largitionum, eumq;
vocat illum, qui præerat largitionibus imperatoriis.

Comes domorum à *Justiniano* dicitur Præfectus domestico-
rum Principis.

Comes horreorum apud *Cicer.* qui granis, & pani præerat.

Comes operum, qui imperabat operis, & artificibus palatii.

Comes privatarum rerum erat, qui Cæsaris res curabat, erat-
que instar procuratoris rei familiaris.

Comes sacrarum largitionum militi stipendia erogabat.

Comes sacri patrimonii, qui curam Imperatorii patrimonii
gerebat.

Sunt & Comites Palatini, à principibus instituti ob varia mi-H
nisteria, quæ eruditè pertractat *Vigilius Zichemus in Justin. de*
exhaeredat. & habetur tribus lib. posterioribus Codicis.

Comitem stabuli, cujus etiam meminit *Justin.* intelligunt ali-
qui eumdem, quem magistrum militum appellamus.

☞ *Require nonnulla sub Loco de Magistratu, & Politia.*
§. Comites, Vicecomites, &c.

* Cometa.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

COmeta ex etymo vocabuli, est crinita impressio, παρὰ
τὴν κόμην à coma, quia scilicet lumen instar comatum
diffundat.

—— *Dirum*, ait Pontanus, *mortalibus omen,*
Spargens sanguineos flammato vertice crines,
Ille quidem morbosque ferens, inopinaque bella, &c.

Est ergo Cometa exhalatio calida, & sicca, pinguis, & vis-
cosa, virtute astrorum elevata, & incensa, & cum suprema
aeris regione mota.

NATU-

NATURA, LOCUS, MOTUS, COLOR, DURATIO.

A

Cometarum Locus regio suprema est aeris, quod arguit
eorumdem motus, quo ab oriente in occidentem ferun-
tur una cum ipso aere.

Materia est sublunaris, non cælestis, videlicet exhalatio
viscosa & sicca, crassa & pinguis.

Forma est figura ipsa accensionis, quæ fit per motum aeris
circumstantis.

Gignuntur quovis annis tempore, sed in autumno maximè,
quando viscosus ille calor extrahi, & attolli potest: quamvis
omni tempore generari valeant.

Existimat *Plinius l. 2. c. 25.* brevissimum spatium, quo Co-
metæ perdurant, septem dierum esse, longissimum LXXX.
Sen. lib. 7. natur. qu. c. 12. mensibus senis tempus longissimum
definit. Vera tamen est sententia, pro quantitate materiæ Co-
meta subsistere, & fuisse visum cometam ante excidium Hiero-
solymitanum anno integro.

Motus Cometæ est varius, communis est ab oriente in occa-
sum, quo unà cum sphæris cœlestibus movetur, & in gyrum
B rapitur. Quamvis & ad alias locorum differentias moveatur,
non quidem proprio motu, sed prioris motus retardatione, fa-
cta comparatione ad punctum cœli, cui recens ortus Cometes
respondebat.

Cumetarum colores veri non sunt, sed apparentes, varii
quidem secundùm varietatem materiarum, puta raritatem, vel
densitatem.

FINIS, EFFECTUS, ET SIGNIFICATIO.

Finis, effectusque cometarum est vehemens ventorum fla-
tus, tempestates, siccitas, sterilitas, terræ-motus, aeris intem-
peries, morbi, qui ex calore, & siccitate oriuntur.

Vulgatum est autem Cometas mutationes in Imperiis, Re-
gumque obitus portendere, unde illud *Sibyllæ* oraculum *lib. 3.*
orac.

Sole sub occiduo verò, vocitata Cometa
Stella relucebit, gladii mortalibus Index
Et famis, & mortis præclarorumque virorum, &c.

Verùm quamvis hujus rei causas in Cometam referendas non
C esse certum, sit, quasi illi physicè ad eos effectus concurrant,
esse tamen signa ad id divinitus assumpta, fatetur *Joan. Da-*
masc. lib. 2. fidei c. 27. & eventu vario docemur.

Hinc Carolus M. conspecta ejusmodi crinita face, quidnam
portenderet ab Eginardo Philosopho, & historico, inquit, me-
tuebat enim, quod verè accidit, mortem sibi imminere. Cui
Eginardus prudenter illud *Hieremiæ* opposuit, Nolite timere
à signis cœli, quæ timent gentes. Sed retorsit sapientissimus
Imperator, se non metuere signa, sed signorum opificem Deum:
eumque ob id venerari, quod lacessitus hominum sceleribus,
Reges, & populum hac ratione præmonet, priusquam feriat, ut
ad pœnitentiam eos provocet.

Refert *Cornel. Gemma libello de Cometa anni* 1575. Exempla
dictorum pete ex apparitionibus subjunctis.

DISTINCTIO, ET VARIETAS.

Pro diffusione, vel contractione materiæ incensæ, nunc ma-
jor, nunc minor est Cometa, communis divisio est, ut alius
D sit caudatus, alius crinitus, alius barbatus. Astrologi novem
faciunt species: *Alb. M. lib. 1. tract. 3. cap.* 10. quinque numerat,
Plin. lib. 10.

APPARITIONES.

Ea noctæ qua natus est Alexander M. cometes ingens in quo
tubæ effigies in hastam mutata est, apparuit: ann. Mundi 3610.
Tempore Anaxagoræ ingens Cometa LXXV. dies illuxit, tan-
taque ventorum secuta est tempestas, ut lapidem vehiculi ma-
gnitudine à rupe avulsum in sublime turbo ferret, dimitteretq;
in Ægos Thraciæ flumen: *Arist. l. 1. meteor. c. 7.*

Regnante Nicomacho Athenienses Principe, cùm circa
Æquinoctialem circulum cometa fulsisset, ad urbem Corin-
thum magna ventorum vis incubuit.

Ante eversam Hierosolymam Cometa imaginem gladii refe-
rens integro anno se ostendit, cladisque prænuntius extitit.

Cometes ingens mensibus aliquot apparuit anno 540. qui
bellum funestum, quod mortem Constantini portendit, se-
cutum est.

L. B. Theat. vit. Human. Tom. I I.

Anno 594. signum in cœlo instar columbæ pendens,
ardensque per dies triginta apparuit. E

Ann. 454. Insignis Cometa apparuit: cœlum ardere vi-
sum, hastæque ignea conspectæ: ac paulò post Attila Ita-
liam vastavit.

Cometa quoque in forma lanceæ apparuit ann. 537.

Sub annum 570. tempora fuere turbulentissima, sic ut
Gregorius mundi finem instare existimaret. Cometæ varii con-
specti, multaque prodigia visa fuere.

Ann. 594. Cometa conspicuus mensem integrum se exhi-
buit, effulsit quoque stella crinita anno Christi 603. quo
tempore Imperator Mauricius unà cum conjuge, & liberis
à Phoca occiditur: & deficere cœpit Constantinopoli-
tanum Imperium.

Anno 594. tribus mensibus cometes visus est.

Anno verò Christi 729. duo Cometæ conspecti mense
Januar. diebus XV. unus præcedebat Solem orientem, al-
ter occidentem sequebatur.

Anno 745. Cometam maxima pestis subsecuta est, quæ in
Syria, & Græcia plura hominum millia absumpsit.

Eodem seculo anno 761. duo apparuere Cometæ, diebus XXI.
biennio post alius itidem prænuntius extitit maximi gelu, ita ut F
Pelagus ponti ad 100. milliaria congelatum esset.

Anno 843. varii cometæ bellum inter fratres Lotharii
Imp. prænunciarunt.

Italiam fames ingens invasit anno 845. cujus signum dederat
prævius cometa anno præcedente.

Anno autem 985. Cometa famem, pestem, & terræmotum
attulit, cujus participes fuerunt Capua, & Beneventum.

Tempore Henrici IV. Imp. anno videlicet 1104. plura prodi-
gia evenere, ac inter cætera cometarum apparitiones, quàm ve-
rò ea tempora fuerint turbulenta, docent historiæ.

Cometes ingentes visi anno 1141. armorumque strepitus
intonuit.

Anno Christi 1211. Cometa in Polonia diebus 18. apparens,
vehementem Tartarorum irruptionem prænuntiabat.

In Germania Cometes visus anno 1254. ventusque tam inso-
lens subsecutus, ut silvas, domos, arces, montesque sterneret.

Anno 1305. Cometa ingens pestem per Orbem universum
attulit: uti etiam anno 1312.

Dirus cometes apparuit per menses 4. cui accessit alius
per tres menses alios, an. 1337. magnarum calamitatum per
Germaniam nuntii.

In Polonia quoque anno 1433. cometæ apparuere: quos G
clades maximæ subsecutæ.

Anno deinde 1444. Cometæ ingentes hominum animos sol-
licitos reddebant, & secuta excidia bellaque portendebant.

An. Chr. 1456. Cometa per Junium mensem visus: & haud
diù post Fredericus Imp. à civibus suis Viennæ cæditur.

Anno deinde 1473. bella cruentissima significarunt duo
Cometæ notabilis magnitudinis: ac trium annorum siccita-
tas subsecuta.

Pestis quoque pecorum secuta est Cometem, qui appa-
ruit anno 1491.

Ann. 1500. Cometa prodigiosus in signo Capricorni visus
est, & paulò post nascitur Gandavi Carolus V. Imp.

Anno 1506. tertio idus Aprilis, stella crinita continuis
25. diebus effulsit, & Philippus Maximil. Imp. F. Hispan.
Rex moritur.

Anno deinde 27. tam ardens Cometa visus fuit circa
quartam matutinam tota Europa, qualis nunquam appa-
ruisse credebatur, subsecuta est Turcarum tyrannis acer- H
bissima: Roma à Borbonio capta, Pontifex Romanus tradi-
tus Cæsarianis militibus.

Etiam ante bellum rusticorum in Germania, Cometa illuxit
aliquot diebus ante ortum solis, anno 1530.

Biennio post Cometes etiam visus per aliquot hebdo-
madas per universam Italiam, & Germaniam, quando So-
lymannus Turcarum Imper. Viennam obsedit, & in Hun-
gariam irrupit.

Anno insequente, in æstate alius apparuit Cometa diebus
40. & Anabaptistæ, ac Sacramentarii furere incipiunt.

Post annos deinde quinque, mortem Ducis Saxoniæ Come-
tes in ea Provincia apparens præsignificabat.

Quomodo anno 1539. post Cometæ apparitionem Isabella
Caroli V. uxor defuncta est.

Verùm quantarum calamitatum prodigia attulit Cometa,
qui anno Domini 1575. conspectus per Belgium fuit: & alius
insuper anno 1577. per septimanas decem visus. Scripsit de
illis eruditum commentarium *Cornelius Gemma* Medicinæ

profess. in Acad. Lovan. celeberrimus. Extat Edylion in
A apparitionem ejusdem Cometæ, quod sic se habet.

Juppiter in terram cœli speculatus ab arce,
Quis novus hic toto est, inquit, in orbe furor?
Credideram ventri tot, cùm malè nuper haberet,
Pocula purgando sumpta, fuisse satis.
Sparsa sed in vastam morbi sunt semina molem:
A capite ægrotant brachia, crura, pedes.
Cor, ex quo vitæ vigor, en modo causa ruinæ est,
Et mors, incolumi quo solet esse salus.
Pars ægrota suæ nescit contagia labis,
Vim tamen & sanis partibus ipsa facit.
Ergo age nunc summo verrenda à vertice tellus:
Non metuunt molles aspera terga scopas.
Nuncius è foribus Capricorni prodeat Austro,
Terrificam sparso qui ferat igne comam.
Ut mea si veteri purgata est Belgica flagro,
Europæ medicum totius istud agas.
Per sua dum populis mitescant funera reges,
Suadere se regi plebs sciat ipsa suo:
Dum belli rabies cadat à radice resecta,
Quæque odium vulsit, glutinet arctus amor.

Cæterùm post omnes alios apparuit ingens, & dirus Come-
B ta anno proximè elapso 1618. & 1619. qui primum in Belgio visus die 4. Decembris anni 1618. & ita continuis pene tribus mensibus eodem ferè loco, sub autoram, & statim post mediam noctem, se conspiciendum præbuit versus Austrum.

Erat autem admodùm extensus, caudam, sive flagellum admodùm latum gerens, ita ut Optici assererent, plusquam ad quingenta milliaria ejus longitudinem protendi. Apparuit autem in aliis insuper Provinciis Europæ, nempe in Italia, Hispania, Germania. Quam tragici autem eventus subsecuti fuerint, testis est nupera calamitas, quæ Bohemiam, Hungariam, & alias Germaniæ partes afflixit. Prænuntium quoque fuisse funerum magnorum Principum nemo inficiabitur, qui considerabit statim post apparitionem illius, decessisse Matthiam Imperat. Paulum V. Pontificem, Philippum III. Regem Hispaniarum, & Albertum I. Ducem Brabantiæ, Principem verè pium, prudentem, pacificum. Scripsit de ejusdem Cometæ natura, & effectis eruditum tractatum *Thomas Fienus* Medicinæ Doctor, & Professor excellentissimus Lovanii: ac deinde de eodem tractavit *Erycius Puteanus* historia-
C rum in eadem universitate Professor, bonique eventus nuntium Cometam istum paradoxicos demonstravit.

Carmen illius adscribimus, quo sententiam suam clausit.

Error hic, an terror fallax, qui dira Cometis
Fata dedit? sævum crinibus imperium?
O vos, innocuo, Prognostiæ, parcite cœlo:
Ostendit vanas Sideris ira minas.
Terra suos generat damnati luminis ignes,
Naturæ fæces terra, faceisque gerit,
Cernite corruptos, & dignos vindice mores,
An morbos? raptum per mala vota nefas.
Prodigio humanum stat crimen: parcite cœlo:
Sævit & humano crimine prodigium.
Ergo fatalem scelerato in pectore flammam
Accendit variis vis animi furiis.
Hinc rubet in pœnam, valido perstrictus ab igni,
Qui sceleri sternit mente, manuve viam.
Lurco cupes, fœdusque nepos, infustus Adulter,
D *Et mala pollutis turba libidinibus.*
Pallet & in pœnam, gelida perstrictus ab aura,
Qui sceleri mentem mancipat, atque manum:
Latro, Sacrilegus, perjuro pallidus auro,
Atque injustitiæ triste sodalitium.
Quas inter maculas ægris mortalibus ævum
Infelix agitur? pœnitet, atque pudet.
Pœnitet heu? miseros scelerum: nam monstra pudenda
Quæ patitur, turpi quisque timore tegit.
Et pudet heu? miseros scelerum: nam monstra timenda:
Quæ patitur, turpi quisque pudore tegit.
Terror hic, haud error fallax: scelus omne Cometa est.
Nec face stella caret, nec mala mens Nemesi.

Sed & *Joan. Stormius* ex Professore Philosopiæ, Medicinæ in eadem Academia Doctor, & Professor, ejusdem Cometæ prognosticon tam ex ratione, quàm opinione, versu retrogrado, sensum reciprocum referente concepit, typisque vulgavit, ac illius naturam, & effectus varios sensu contrario asseruit. Et tibi eumdem damus, Lector, æqui consule.

OPINIO LOQUITUR.

Flagrat Barba ea, non Solis fit lumine: fumi
Copia sic ardet, non ibi Stella mera est.

RATIO RESPONDET.

Est mera Stella ibi, non ardet sic copia fumi:
Lumine fit solis, non ea Barba flagrat.

OPINIO VATICINATUR.

Interitum id Sidus radians, haud nuntiat ortum
Principis; ito retro, non bona vaticinor.
Occiduis nocet hæc lux, necnon blanditur Eois,
Infestat Boreas, non ea amica Noto est.
Teutonibus mala, nec Belgis fert prospera, Iberis
Aspera, non populis hæc favet Ausoniæ.
Flagro percutienda est, nec tuta Austria abibit;
Turbat, non recreat fax nova Pannoniam.
Hercyniam opprimet armatis, neque culta colonis
Arva dabit, perdet, nec sata perficiet.
Quadrat stella malè hæc Batavis: haud uniet ipsos,
Puniet hos undis: haud locus obstat huic.
Is turbat mare, nec toto finit orbe carinas
Ire, negat reditum, nec freta pandit iis.
Agros perdet ibi, non tuto erit æquore inundans.
Submerget Batavos, non mare placat iis.
Est fera ubique ea, non lampas satis æqua: sepulchro
Orta datur soboles, hinc neque viva patri.
Deest ipsa auxilio, haud infantem promovet ortum:
Impedit, haud fœtus exitui apta preest.
Patrat monstra, neque est inceptis utilis: obstat
Fructibus, haud teneris assiduò ipsa preest.
Interimet priùs, haud nuptas dabit esse puellas,
Ire facit steriles, non citò fructiferas.
Lethiferas modò fert pestes, nec pharmaca gignit
Commoda, dat calidas haud sine morte febres.
Replet cæde loca, haud tectis hæc abstinet: ignem
Iniicit accensum, non cavet ipsa sacris.
Exitium parit, haud regnis hæc proderit: urbes
Diruet excelsas, non puto restituet.
Nobilibus mala, nec populo hinc optanda propinat:
Stella dat hæc inopem fruge, nec implet agrum.
Evacuat stabula, haud multis replet aucta juvencis.
Esse facit miseros, haud favet agricolis.
Est mala Barba ea: non superum hinc abit ira: Cometes:
Arma parat nobis, non bona significat.

RATIO RESPONDET.

Significat bona, non nobis parat arma Cometes:
Ira abit hinc superum, non ea Barba mala est.
Agricolis favet, haud miseros facit esse, juvencis
Aucta replet multis, haud stabula evacuat.
Agrum implet, nec fruge inopem hæc dat stella: propinat
Optanda hinc populo, nec mala nobilibus.
Restituet puto non excelsas diruet urbes:
Proderit hæc regnis, haud parit exitium.
Sacris ipsa cavet, non accensum iniicit ignem,
Abstinet hæc tectis, haud loca cæde replet.
Febres morte fine, haud calidas dat: commoda gignit
Pharmaca nec pestes fert modo lethiferas.
Fructiferas citò, non steriles facit ire puellas:
Esse dabit nuptas, haud priùs interimet.
Præest ipsa assiduò, teneris haud fructibus obstat:
Utilis inceptis est, neque monstra parat.
Præest apta exitui fœtus, haud impedit ortum,
Præmovet infantem, haud auxilio ipsa deest.
Patri viva, neque hinc soboles datur orta sepulchro;
Æqua satis lampas non ea ubique fera est.
Is placat mare, non Batavos submerget inundans:
Æquore erit tuto, non ibi perdet ægros.
Is pandit freta, nec reditum negat: ire carinas
Orbe finit toto, nec mare turbat iis.
Huic obstat locus, haud undis hos puniet, ipsos
Veniet haud Batavis hæc malè stella quadrat.
Perficiet fata, nec perdet: dabit arva colonis.
Culta neque armatis opprimet Hercyniam.
Pannoniam nova fax recreat, non turbat, abibit
Austria tuta, nec est percutienda flagro.
Ausoniæ favet hæc populis, non aspera Iberis:
Prospera fert Belgis, nec mala Teutonibus.
Est Noto amica ea, non Boreas infestat, Eois
Blanditur, nec lux hæc nocet Occiduis.

Vati-

Vaticinor bona, non retrò ito: Principis ortum
A *Nunciat, haud radians Sidus in interitum.*

Cæterùm luserunt circa hujus Cometæ prodigium Doctorum virorum ingenia, subsecuti aliquot annorum eventus, satis funestos illius effectus indicarunt. Siquidem tota Europa bello exitiali exarsit, adversùs Ecclesiam Catholicam, ejusque unicum defensorem Hispaniarum Regem factiones concitatæ. Subsecutæ, immò & comitatæ has morborum genera varia, sic ut universum penè orbem mortalitas fuerit depasta, ac etiamnum perseveret, Deo iracundiæ suæ flagella immittente.

* Comitas.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

COmitas, Græcè & εὐτραπελία, & εὐτράπελος, comis dicitur. Est autem comites cum moderatione jocatio, *secund. Arist. l. 4. Ethic.* Unde Comis, qui moribus est compositus, & omnia agit μετὰ κόσμου, id est, cum ratione, & modo, unde etiam Comis Græcis κόσμιος, dicitur.
B Comitas est virtus media inter severitatem, & remissionem. In altera nec punctum quidem à virtute discedimus: in altera omnia quadam animi abjectione remittimus.

* APOPHTHEGMATA.

Diogenes solitus est dicere manus non esse porrigendas amicis, complicatis digitis. Innuens, non satis esse, si comes nos præbeamus amicis, sed comitati comitem adjungendam benevolentiam, & benignitatem. *Laert. l. 6. & Erasm. l. 3. Apopht.*

Æschines cùm cuperet esse ex numero discipulorum Socratis, suamque apud præceptorem excusaret paupertatem, molestè ferens, cum alii Socratis amici multi subinde largirentur, se solùm nihil posse. Annon intelligis, inquit Socrates, quàm magnum munus mihi dederis, nisi fortè teipsum parvi æstimas? Comiter suscepit discipulum egenum, & nihil mercedis postulavit ab eo, quem pauperem esse noverat. *Laert.*

Antalcidas rogatus à quodam, quo pacto quis maximè placere possit hominibus? Si, inquit, loquatur illis jucundissima. *Plut. in Lac. Apopht.*

Telecrus fratri suo querenti, quòd cives erga se non perin-
C de afficerentur, atque erga illum: sed inhumanius tractarent, quod nondum ab illis esset creatus Ephorus: Tu (inquit) extra omnem comitatem positus injuriam ferre nescis, ego autem scio. Sensit, comitatem plurimùm posse ad conciliandum civium favorem. *Plut. in Lac.*

Quidam causam detulit ad oratorem: is negavit, ac detulit ad alterum, qui recepit. At is, qui detulerat, dicere solebat, sibi gratiorem fuisse orationem ejus, qui negarat, quàm ejus qui recipit: Quod si ille comiter recusasset, hic graviter & inamœno vultu recepisset. *Erasm. l. 8. Apopht.*

C. Cotta dicebat, se operam suam, in eo quòd non contra officium peteretur, solere polliceri omnibus: sed impertire illis tantum, apud quos optimè poni arbitraretur. *Cic. ad Quint. frat. de pet. consul.*

TROJANUS Imp. amicis incusantibus, quod parum memor imperatoriæ majestatis, nimium esset omnibus expositus, respondit: talem præstabo me imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus. *Eras. Rot. l. 8. Apopht. Bruf. l. 3. c. 4.*
D *Vide Clementia, Humanitas, Benevolentia.*

Comitia.

* DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

COmitia dicta à cum, id est, simul itando, aut eundo. Olim fuere conventus populi in campum Martium septa, aut curias, inquit *Jul. Cæsar. Buling. de Imp. l. 2. c. 10.* ut suffragio tabellario Magistratus crearet, de pace, aut bello statueret, leges ferret, de capite civis cognosceret, imperium lege curiata decerneret, quemadmodum Græci sublata manu in Theatris de gravioris rei negotiis statuere soliti erant, quod dixere χειροτονίαν.

TIBERIUS I. Comitia è campo ad patres transtulit. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis partium fiebant. De hoc Comitiorum ordine turbato *Lucan. l. 5.*

—— *Nam quo melius Pharsalicus annus*
Consule notus erat, fingit solemnia campus
Et non admissæ dirimit suffragia plebis. E
Decantatque tribus, & vana versat in urna,
Nec cœlum servare licet.

Hoc tempore comitia appellantur celebriores Principum conventus legitimè indicti, in quibus de statu Reipubl. rebusque arduis in medium consulitur.

* COMITIORUM VARIETAS.

Comitia alia erant Consularia, alia Prætoria, alia Quæstoria, alia Tribunaria, alia Ædiliata: quibus scilicet Consules, Prætores, Quæstores, Tribuni, aut Ædiles creabantur.

Etiam Comitia alia erant Calata, alia Centuriata, alia Curiata. Calata Comitia vocabantur, quæ pro Collegio Pontificum haberi solebant, aut regi sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa.

Curiata Comitia (simile est apud Græcos φυλαὶ) quæ ex curiis, id est, tribubus, quæ triginta quinque erant, & ex sensu, & ætate per lictorem curiatum procalari, id est, convocari solebant. F

Centuriata erant, quæ habebantur in creandis Consulibus, cùm Centuriatim, id est, per singulas centurias calculus unus pro suffragio ferebatur. Et hæc per cornicinem ex regionibus, & locis divulgabantur.

MATERIA. DE QUIBUS REBUS.

Apud Lacedæmonios sententiam, quam senatores, regesque consueverant, populo decernendi corrigendique facultas fuit, jubente Lycurgo, qui coaptandi senatus, & legendi, quos vellet magistratus, jus populo dedit. *Alex. l. 4. cap. 11.*

FORMA. QUOMODO.

Spartæ candidati per campum comitiorum transeuntes, populi applausum captabant. Judices seorsum considentes, clamoris magnitudinem diligenter observabant, & annotabant. Cui plures acclamassent, is vincebat competitores. *Arist. in Politicis.*

Cùm magistratus per literas forte crearentur, & Dionysio contigisset litera M. dicenti cuidam per jocum, μωρολογῶν, id est, Morio es, Dionysi: Immò, inquit, μωροαρχήσω, monarcha ero. Adeptus magistratum, protinus imperator ele- G
ctus est à Syracusanis. *Plut. in Apopht.*

Suffragia Apud Rom. & alibi quomodo ferri solita, *vide apud Alex. ab Alex. l. 4. c. 11.*

Priusquam repertus est usus calculorum, quos Græci ψῆφους appellant, suffragia nigris & albis fabis ferebantur. Unde fabis victitare dicebantur, quibus hinc erat quæstus. *Erasm.*

PERSONÆ PRINCIPES.

Ἀμφικτυονικὸν συνέδριον, id est, Amphictyonicus consessus in proverb. ubi de frequenti gravium virorum conventu. Amphictyon Deucalionis filius, cùm rerum potiretur, gentes Græcanicas dicitur convocasse. *Theopomp. hist. l. 8.* attestatur *Pausan. in Phocic.* Populi, qui convenire solebant, numerabantur duodecim, Jones, Dores, Perrhæbi, Bœoti, Magnetes, Achæi, Phthii, Moliensés, Dolopes, Æneanes, Delphi, Phocenses. Alii nomen inditum putant, quòd undecumque ad id consilium ex omni Græcia conveniretur. *Eras. in Adag.*

Apud Aristophanem in Concionatricibus queruntur feminæ, populum Athenienses non convenire ad concionem, nisi dato singulis obolo, cùm ante suo victu consultarent de H
Rep. *Eras. in Adag.*

Galli, & Germani in publicis consultationibus armati convenire, & quid facto opus esset decernere solebant. *Alex. lib. 4. cap. 11.*

Apud Tyrios si quis cum telo concioni interesset, capite luebat. *Alex. l. 4. c. 11.*

Quibus jus suffragii apud Rom. concessum fuerit, *vide apud Alex. ab Alex. l. 4. c. 10.*

Romani cum habebant LX. annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi, atque otiosi. Ideò in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur, Sexagenarios de ponte deiici oportere: id est, quòd suffragium non ferant, quod per pontem ferebantur. *Varro lib. 2. de Vita pop. R. & Victor. lib. 18. Var. lect. cap. 7.*

PERSONÆ ADJUNCTÆ.

ATHENIENSES omnibus publicis conciliis Mantes sacerdotes, qui sacra facerent, adhibebant: ut duos justi, & æqui curatores in rebus consultandis ductores haberent.

Apud Athenienses populus in tribus erat distributus, uni-
A uscujusque tribus tertia pars φρατρία dicebatur, & huic præ-
fectus φρατριάρχης. In comitiis, si quis canis intercurrisset,
continuò petebatur à populo. Hinc proverbium ? Ἀδόμενος
διὰ φρατριόων ὀκύων, id est, ductus per Phratores canis : ubi quis
inciderit in eos, quibus pœnas det. *Erasm.*

Apud Gallos, & Germanos tumultum Comitiorum armatorum Druydæ compescebant, silentii indictione. *Alex. lib.4. cap.11.*

TEMPUS. QUANDO.

Apud Athenienses Ἐκκλησίας, id est, Conciones ordinariæ fuerunt singulis mensibus ternæ, Calendis, die 10. & 30. quæ κύριαι dicebatur συγκλητοί. Indictæ, cùm populus extra ordinem propter urgentia negotia convocabatur. *Suidas.*

LOCUS.

Est mons Albanus inter Albam, & urbem Romam tractu ferè pari disiunctus, ubi templum à Tarquinio superbo Jovi Latia-
li constructum, feruntque sacrum institutum, ad quod Lati-
B ni populi numero septem, & sexaginta, statò tempore, non-
nunquam noctu ad lumina frequentes convenirent, ibiq; nundinas haberent, utque alii agnos, alii caseos, nonnulli lac, plerique molam ad commune epulum afferrent, & unà taurum immolarent, concordi suffragio statutum erat : tauroque immolato, & cæsa victima, ritèque sacrificio perfecto, ut quisque populus, qui ad sacrum accesserat, & quæque civitas carnem posceret, de tauroque partem acciperet, prisci moris erat. Principatus verò sacri, & publici consilii caput, haud dubiè penes Romanos fuit. Et sicut hoc sacrum in Albano, sic Veneris templum Lavini celebre Latinis populis erat : ad quod convenire, & annua sacra statò die facere assuerant, quorum Ardeates (qui antistites templi erant) præcipuam gessere curam. Manstitque in posterùm, ut si quod nomini Latino impenderet bellum, vitandæ injuriæ causa, in Albano, aut ad lucem Ferentinæ, quid facto opus foret, communi concilio decernerent. Anagnini autem concilium Hernicis populis in Circo, quem maritimum vocant, indicebant. Græciæ verò conventum Amphictyonum ab Amphictyone Heleni filio inventum, quod fuit sanctissimum Græciæ concilium, hujus instar sacri tenuisse dicunt, ad quem duodecim florentes Græciæ urbes initio Veris, & Autumni convenire, & Cereri sacrum
C facere, deque maximis rebus communis decreto decernere solebant : quod ad Thermopylas indicebatur, & Pylaicum vocant. Fuere autem populi, qui exciti fedibus illuc confluebant, Jones, Dorii, Perthæbi, Bœoti, Magnetes, Achæi, Phthii, Melienses, Dolopes, Ænianes, Delphi & Phocenses. Præter quos, Homoloctos populos hujus sacri imaginem prætulisse tradunt : dissecto enim in minimas partes bove immolato, fœdus jungebant, & sacrum faciebant. Nec desunt, qui Dianæ templum, quod est in Laconiæ finibus, hujus figuram obtinere dicant. Illic enim Lacones, & Messenii statuto sacrificio, quod in diem certam quotannis faciunt, crebra concilia indicunt, & adversùs maximos conatus de summa rerum consultant. Lugduni quoque, ubi Arar Rhodano commiscetur, communis ara finitimos concivit populos numero sexaginta : ad quod sacrum singuli evocati, ingenti coacta manu, adventabant, deque rebus magnis indicto concilio decernebant. Concilium quoque Ætolorum, quod Panætolium vocant, magni nominis fuit, in quo nisi in Panætolico, & Pyrrhiaco concilio de bello, vel pace decerni nihil poterat. In Palladis Joviæ tem-
D plo Pamboeotia sacra, concurrente Bœotia tota, & concilia populorum magno concursu ad omnes hostium motus frequentia fiunt. Et Panegyres Athenis quinto quoque anno, atque in Neptuni templo Helionii ab universis Jonibus conventus, & sacrum fit, quod vocant Panionia. Fuitque alter conventus Amphictyonum in Troezene templo Neptuni inclyto, quo ex septem civitatibus populi ad commune sacrum pari usu, & commercio coibant, hæc fuere : Athenæ, Prasium, Epidaurus, Ægyna, Nauplia, Orchemenus, & Mynius. Apud Cates autem Chrysaorei Jovis templum omnium Caribus communis concilii locus erat. Et Sybaritis Omarii Jovis delubrum, in quo Sybaritæ, Caulonitæ, & Crotoniatæ conveniunt. Et Eotiis in Epitropo Apolline, ad quem convenientes, cum uxoribus, & liberis sacrificant, ibique ex omnibus oppidis, & vicis, si qua consultatio fieret, cives, & incolæ concilio adesse assuerant. Præ cæteris verò Senonum conventus fertur immanissimus, quo omnes ejusdem sanguinis, statuto tempore in sylvam religione sacram conveniunt : cæsoque publicè homine, barbara feritate victimam faciunt, & de bellis consultant. Præter quos fuit conventus in Olympia Dianæ Alpheo-
E niæ juxta Alpheum : sicut Elaphiæ, & Daphniæ, ac Laureæ, qui annis singulis statò die celebrantur. *Alex.*

Comitialis Morbus.

☞ *Quære Tit. de Capite, §. Capitis interni adfectus.*

Commeatus.

Ut significat alimoniam Exercitus, aut Reipub. Græcè τροφὴ.

Donatus. ☞ *Vide Loc. de Donatione, Munificentia, &c.*

HOSTIUM INTERCEPTUS.

Videatur Titulus de victoriis, §. Prælio terrestri.

COMMEATU HOSTEM LÆDERE. CORRUMPENDO. IN GENERE.

F

Celtæ expeditionem adversùs Autariatas susceperunt. Cùm diù bellum duceretur. Celtæ cibaria, & vinum herbis venenosis inficerunt, & ipsi noctu, relictis castris, abierunt. Autariatæ credentes eos metu profugisse, castra invadunt, & vino, cibariisque largiter fruuntur, statimque immoderato ventris profluvio corripiuntur. Celtæ supervenientes prostratos occiderunt. *Polyænus.*

IN SPECIE. VIDELICET.

Pabulum, Cibum, Commeatum.

Affecturus Samson Philistæos, quos insensè oderat, clade subita, & inopinata, & quæ universam gentem attingeret, esset-que interim omnis alieni auxilii expers: rem commentus est specie ridiculam, sed eventu hosti calamitosam. Multas enim numero venatus vulpes in Philistæorum agros maturescentibus jam segetibus immisit, igni caudam appensò. Quarum ancipiti fuga adeò flamma diffusa est, ut universa hostium regio uno tempore cum segetibus deflagrarit. *Sab.l.10.c.1.*

Phalaris tyrannus in eo bello, quo Sicanos Agrigentini op-
G pugnabant, cùm eos excindere nulla ratione posset, multo frumento comportato, finem belli fecit : ad hæc frumentum, quod in castris habebat, eis reliquit ea conditione, ut ejus loco reciperet, quod post meteretur. Gratis animis receperunt Sicani. Phalaris effecit, ut qui frumento præerant, pecuniis corrupti, tecta ædificiorum dissiparent, quo facilius frumentum computresceret. Quod verò metebatur, ipse ex pacto accepit. Itaque, cùm omnem à regione fructum dedissent Phalaridi, cùm verò, qui in urbe tenebatur, corruptum invenirent necessitate compulsi, ob frumenti inopiam ei se dediderunt. *Polyæn. lib.5. & Front. in lib.3. c.4.*

Cnopus ex Codridarum genere oriundus, cùm iis, qui Erythram incolebant, cùm Jonica colonia in Asiam deduceretur, bellum gerebat. Deus oraculo prodiderat, ut ducem itineris à Thessalis sumeret sacerdotem Hecates. Missa ad Thessalos legatione, sententiam oraculi eis indicavit. Illi sacerdotem ei Deæ miserunt Chrysamen. Ea cùm pharmacorum magnam peritiam haberet, taurum de grege sumpsit maximum, & pul-
H cherrimum, ejusque cornua inauravit, & corpus ornavit fertis, auroque intertextis purpuris, atque cùm dabulo furiosum pharmacum miscens, comedendum ei proposuit. Pharmacum hoc, cùm ipsum taurum in furorem adegit, tum omnes, qui ejus carne vescerentur, in rabiem poterat convertere. Hostes è regione castra locabant. Illa in conspectu, & oculis hostium extructa ara, omnibusque rebus, quæ ad sacrificium pertinerent paratis, taurum jussit adducere. Ille propter pharmacum fugens, & œstro percitus, exiliit, magnisque mugitibus editis fugit. Hostes videntes inauratis cornibus, & coronatum, ab hostium sacrificiis in sua castra ferri, quasi bonum signum, ac fausstum omen suscipiebant : comprahensumque diis immolabant, ac de mortuo quilibet partem arripuit, ut numinis, & divini sacrificii participes fierent. Continuoq; universùs eorum exercitus furore, & amentia corripiebatur. Omnes exiliebant, discurrebant, saltabant, custodias relinquebant. Chrysame hæc conspicata, Cnopum summa celeritate jubet exercitum expe-

dire, & contra hostes ducere, qui defendendi facul-
A tatem non haberent. Ita Cnopus omnibus interfectis, Erythrensium urbe magna, florentissimaque potitus est. *Polyæn. lib.8.*

HANNIBAL, cùm sciret sua, & Romanorum castra in eis locis esse, quæ lignis deficiebantur, ex industria regione deserta plurimos armentorum greges inter vallum reliquit. Qua velut præda Romani potiti, in summis lignationis angustiis, insalubribus se cibis onerarunt. Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos, & in semicruda graves carne, majorem in modum vexavit. *Front. lib. 2. cap.5.*

Joannes Hierosolymorum, item Andreas Hungariæ reges, cum permultis aliis Germanis, atque Gallis principibus in Ægyptum profecti, Cayrum urbem obsederant. Melchechelchemel Sultanus, timorem simulans, eo usque rem traxit, donec adductus amnis Nilus, totam regionem inundavit, Christianus exercitus corruptis commeatibus, atque omni pabulationis materia, pacem, quam Sultanus voluit, accepit. *Fulg. lib.7.cap.4. Bonfinius, & Æmilius.*

Potum.

Amphictyones in oppugnatione Cyrrhæ abstrusum aquæ
B ductum invenerunt copioso latice è Plisto amne fluentem, & de consilio Eurylochi magnam hellebori multitudinem ab Antycira collectam aquæ permiscuerunt. Cirrhenses aquam bibentes, ventris profluvio enecti jacebant. Amphictyones, sine labore prostratis hostibus, urbem ceperunt. *Polyæn. lib.4. Suidas.* Solonis inventum hoc fuisse scribit.

CLISTHENES Sicyonius ductum aquarum in oppidum Crisæorum ferentem rupit. Mox affectis siti restituit aquam elleboro corruptam, & dysenteria laborantes sibi subjecit. *Front. lib.3.cap.7.*

HAMILCHAR Carthaginensis (alii Maharbali tribuunt : *Frontinus* verò *lib.2.* ipsi Hannibali) non ignorans Libycorum in vino luxuriem, multa vini vasa mandragora corrupit : iisque depositis in suburbiis : cùm illi accederent, in urbem rediit, quasi vim adhibentibus resistere cum suis copiis non posset, illi gaudio elati, quòd Carthaginenses intra mœnia conclusissent : inventis vasis, largissimè se vino ingurgitarunt, statimque in somnum gravissimum inciderunt. *Polyæn. lib.5. & Cælius lib.17.cap.24.*

Scribit *Strabo lib.12.* Heptacometas gentes feroces super
C arboribus, ac turribus habitare, ex carne ferina, & arborum fructibus viventes. Ex arboribus desilientes, peregrinos adoriuntur iter agentes. Tamque potentes fuerunt, ut tres Pompeii cohortes armis, & dolis obtruncarent, dum montana pertransirent. Miscentes enim crateras insani mellis, quod rami arborum ferunt, potos, & mente alienatos adorti, facillimè interemerunt.

SUENO, Norvegiorum rex, Duncanum Scotorum regem in oppido Bertha obsidebat. Banquhonis consilio Maccabeum consobrinum cum novis copiis adventantem ad Tulinam clàm subsidere jubet. Ipse per fæcialem cum Suenone de deditione agit : & victoris iræ mitigandæ causa se commeatum libenter subministraturum pollicetur. Græca ea fuit conditio Danis, extrema laborantibus inopia. Vinum igitur, & cervisiam solatro maniaco infectam in castra develli curavit. Iis se ingurgitantes Dani, de deditione postero die facienda securi, in soporem unà cum rege Suenone solvuntur. Intereà Maccaneus exercitum trajecto Tao flumine per ligneum pontem ducit in Bertham, ac inde aversa porta egres-
D sus, ducente Banquhone ad castra hostium perveniunt. Tum maximo edito clamore ad terrorem, si quis fortassis adhuc vigiles superessent, ac sobrii, cædem ingentem edunt. Pauci quidam, decem numero, quòd dona hostium suspecta habuissent, sobrii regem veluti exanimem ad Tai ostia, ubi navium statio erat, scapha piscaria deferunt : & unica nave consensa, cum nautis in Norvegiam navigarunt. Maxima ea Norvegis clades fuit : ut proinde quisquis eques auratus deinceps fieret, sacramento astringeretur, eam Scotorum contumeliam, quantum in se esse, vindicaturum. Naves reliquæ in æstuariæ vacuæ nautis relictæ, post triduum Euro vehementius flante collisæ, fractæ, ac submersæ sunt, fundoque hærentes, affluente arena aggeribus accumulatis, refluente mari etiamnum nonnihil extant : vulgò Drounlou, id est, Montes mergentes, appellantur. *Hector. Boeth. lib.12.*

Petrus Roseus, Venetarum copiarum dux, Venetorum auspiciis, Bogvolentæ in Patavino agro arma intulerat, unaque erat Marsilius Carrariensis. Cùm in eum Mastinus Scaliger exercitum ingentem duxisset. Petroque necessitas injecta esset inde egrediendi, quòd eo in loco commeatuum difficultate premebatur: cùm hostes ad eundem amnem, sed inferiore
E parte tenderent, neque aliunde aquationis facultatem habe-
rent : glasto herba amnem infecit, ita ut homines, jumentaque propter amaritudinem ejus aquas gustare nollent. Ea re coactis mutare castra hostibus, qui congredi, & dimicare cum eis non audebat, astu inde, nullis armis usus, ex rei suæ commoditate depulit. *Fulg. lib.7. cap.4.*

CONSUMENDO, ABSUMENDO, Etipiendo.

IN GENERE.

DROMICHÆTES rex erat Thracum, Lysimachus Macedonum Macedo Thraciæ bellum inferebat. Thrax Macedonem dolo circumvenit. Dux ejus Æthis transfugæ specie ad Lysimachum transire se vellet dicebat. Qui cum fidelis esse crederetur, Macedones in locorum difficultates conjecit. Ibi conflictantes fame, sitique Dromichætes adortus, cùm ipsum Lysimachum, tum omnes, qui eum sequebantur, interfecit. Erat Lysimachiorum, qui ceciderunt, numerus ad centum millia. *Polydorus lib.7.*

F

Cùm Darius Persarum rex, Scythiam invaderet, Scythæ aperto Marte cum illo congredi noluerunt, præsertim cùm Agathyrsi, Neuri, Androphagi, Tauri, & Melanchlæni illis subsidia denegassent : sed puteos, & fontes obstruxerunt, & pabulum omne regionis attriverunt, & fugiendo Darium, ita fatigarunt, ut nil potiùs habuerit, quàm retrocedere. *Herodotus lib.4.*

DARIUS adversùs Saccas expeditionem suscepit. Reges Saccarum Sacephares, Homarges, Thamyris, in loco deserto de præsentibus rebus consilium capiebant. Equiso quidam, nomine Risaces, eos accersit, promittens, se Persarum copias ad nihilum redacturum, si juramento confirmarent, se liberis, & nepotibus suis equos, ac pecunias daturos. Quibus jurantibus, ille strictò cultro nares, & aures suas abscidit, ac reliquum corpus mutilavit, transfugiensque ad Darium, sic à Saccarum regibus se tractatum clamabat, sed non diù impunè laturos, modò sibi utilia suadenti parere Darius vellet. Saccas sequenti nocte castra moturos. Quòd si Persæ per compendia viarum se ducem sequantur, Saccas imparatos debellari posse. Assumptis ergo septem dierum commeatu, per G
vastas solitudines Risacem comitantur. Tandem Chiliarchus Rhanosbates dolum subodoratus. Quamobrem, inquit, decipere regem magnum statuisti, & in locum omni aqua carentem Persas deducere, unde neque progrediendi, neque revertendi potestas conceditur. At ille, complosis manibus, in cachinnum effusus ; ut à Saccis civibus meis periculum depellerem, inquit, siti, ac fame Persas enecavi. Chiliarchus confestim Risaci caput abscidit. Darius autem ascendens in excelsum quemdam collem, sceptrum candy, ac tiara involutum, colligato adhæc diademate regio, in terram defixit : precatusque est Apollinem, ut aquam cælitus præberet. Audivit preces Deus, imberque copiosus decidit. Hunc excipientes pellibus, ac vasis Persæ, ad Bactrum fluvium evaserunt. Quemadmodum autem equisonis dolo penè universus exercitus interiit, sic in posterum Zopyrus imitatus equisonem mutilata facie deceptos Babylonios subegit. *Polyænus lib.7. & Justinus ex Trogo.*

Cùm Julianus Imperator apostata contra Persas exercitum duceret, & jam usque ad Cresiphontem urbem pervenisset, ne-
que tamen satis rebus suis fideret : à sene quodam Persa (qui H
se dedita opera capi permiserat, & pro patria devoverat) persuasus est, ut tridui viatico assumpto ducem sequeretur : esse enim compendiosam per montes, & sylvas quasdam, arduam tamen, & difficilem viam, sed à Persarum insidiis tutam. Julianus paret. Et cùm jam tertia die in vasta solitudine fame, atque siti exercitus conficeretur : senex dolum fassus, ex edito colle splendidum Persarum exercitum ostendit. Romani animis, & corporibus fracti, ab hostibus cæduntur. Julianus ipse à quodam suorum militum (Christiano nimirum, quem Mercurium aliqui appellatum volunt) in femore ictus sceleratam evomuit animam. *Niceph. lib.10.cap.34.*

IN SPECIE. NEMPE.

Pabulum, cibum.

Alexander Magnus oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, priùs castella, quæ in confinio erant, cepit, omnesque ex his Leucadiam passus est confugere, ut alimenta inter multos

multos celerius absumerentur. *Front. lib.3. cap.4.* Eodem
A consilio Judæos ex tota regione Hierosolymam fugientes Vespasianus, inde Titus ejus filius oppressere, teste *Josepho*.

Dionysius multis urbibus captis, cùm Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, simulavit pacem: petiitque ab eis, ut commeatus exercitui suos subministrarent. Quod cùm impetrasset, exhausto oppidanorum frumento, aggressus urbem alimentis destitutam superavit. Idem & adversùs Himereos fecisse dicitur. *Idem.*

Antigonus rex, ut Athenas caperet, sub finem autumni pacem cum eis pepigit. Athenienses frumentum hinc inde seminantes, sperabant priùs abiturum, quàm fruges videre cœpissent. Cùm ad maturitatem jam fruges pervenissent, Antigonus cum exercitu impressionem in Atticam fecit. At illi cùm frumentum partim consumpsissent, partim convehere prohiberentur, Antigonum intra mœnia receperunt, omnibusque ejus mandatis morigeros sese præbuerunt. *Polyænus lib.3. & Frontinus lib.3. cap.8.*

Numantia obsidione clausa, cùm famem hostes sentire cœpissent, pabulatores in agris captos occidi P. Scipio vetuit,
B quin permisit incolumes in urbem abire, ut aliquanto citius fames invalesceret. *Sabell. lib.9. Enn.5.*

Q. Fabius Maximus, vastatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obsidionis superesset, recessit sementis tempore, ut frumentum, quod reliquum habebat, in fationes conferrent. Reversus deinde, renata protrivit, & ad famem redactis poritus est. *Front. lib 3. cap.8.*

C. Julius Cæsar dicebat, idem esse sibi consilium adversùs hostem, quod plerisque medicis contra vitia corporum fame potitis, quàm ferro superandi. *Front. lib.4. cap.7.*

Arverni, suasu Vercingetorigis ducis, uno die xx. urbes suas cum vicis minus munitas incenderunt, ut Julium Cæsarem pabulandi inopia fatigarent. *Sab. lib.6. Ennead.6.*

Romani, duce Tito, Hierosolymam obsidebant. Cùmque fames crudelissima Judæos vexaret, ut multi morerentur, iis, quos ferrum reliquos fecerat, Romani juxta murum stantes, alimentorum copiam Judæis ostentantes, famem illorum magis accendebant. *Joseph. lib. 6. cap.14. belli Jud.*

C Belisarius, cùm magnam vim frumenti Ravennæ, quam oppugnabat, in publicis horreis adhuc recondi cognovisset, ex incolis quempiam pecunia corrupit, ut horrea cum frumento clàm concremaret. *Procopius.*

Henricus III. Rom. Imp. in Ungariam suscepta expeditione, Danubianæ classi Gebhardum Episcopum fratrem præfecit. Andreas ea parte, qua hostis iter facturus erat, acervos frumentarios, ac pabula cuncta combussit, incolas, & pecora abduxit, ne qua prædæ, commeatusve copia foret hosti. Imperator in omnium rerum egestatem incidit. E Javrino interea præfectus classis tabellarium ad Imperatorem misit, qui ab Andrea interceptus est. Mox ad Gebhardum, Henrici nomine, adulterinæ literæ remittuntur, classem solveret, & celerrimè Ratisponam rediret, ad incursiones hostium reprimendas. Præfectus iis literis deceptus, mandato peragit. Imperator ergo & commeatu, & auxiliis destitutus, pacem cum Andrea fecit, Sophiam filiam Philippo Henrici Gallorum regis F. desponsatam matrimonio junxit, & nunquam se, suosve contra Pannonas militaturos promisit. *Bonfin. lib. 2. Dec.2.*

Stephanus Palatinus Valachiæ xxx. millibus suorum cxx.
D millia Turcarum anno 1475. profligavit. Permagnum autem cùm ad victoriam, tum ad majorem hostium stragem momentum ipsi attulit, quod omnem circumcirca regionem longè latèque in primo Turcarum ingressu ipse exusserat. Hinc enim factum est, ut in magna commeatus, & pabuli penuria, Turcæ juxta, ac equi ipsorum debilitarentur. *Cromerus lib.28.*

Florentini antequam à Carolo V. obsiderentur, quæcumque in agris poterant usui hostibus esse, omnis generis commeatus, pabulique præsertim, in urbem convexerunt: quæ transferri nequibant, ultrò incendiis corruperunt. *Jovius lib.27. Hist.*

Aldefonsus, Asturum, & Castellæ rex, Toletanam urbem populosissimam oppugnaturus, quatuor annis continuis agros vastavit. Quinto demùm obsidionem admovit, septenis castris illam circumdans. Itaque fame coacti cives, sed & tyrannide, & ignavia regis sui Hiaje moti, urbem dedidere. *Rodericus Toletanus lib.6. rerum Hispan. cap.23.*

Potum.

Cyrus Babylonem oppugnabat. Babylonii cùm frumen- E
tum in multos annos haberent, oppugnationem deridebant, Cyrus Euphratem, qui per mediam urbem fluebat, interceptum in vicinam paludem deduxit. Babylonii, cùm aquæ bibendæ copiam non haberent, confestim se Cyro dediderunt. *Polyænus lib.7.*

P. Servilius Isauram oppidum, flumine (ex quo hostes aquabantur) averso, ad deditionem siti compulit. *Frontinus lib.3. cap.7.*

C. Cæsar in Gallia Cadurcorum civitatem amne cinctam, & fontibus abundantem ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis avertisset, & fluminis usum per sagittarios arcuisset. *Front. lib. 3. cap.7.*

COMMEATUS CURA: PUTA ALIMENTORUM, PABULI, LIGNORUM, SALIS, Ignis.

☞ *Huc quoque aliquo modo referendus erit Titulus, Regiones steriles, & aridas superare.* F

ACQUISITIO, IMPORTATIO, INTRODUCTIO, SUBVECTIO. PRÆDAM tutò agere.

David rex exul, cum 600. comitibus ad Achis regem Geth Palæstinum confugerat, & ab eo Siceleg oppidum habitandum acceperat. Quotidiè igitur in vicinos agros Amalechitarum, Gerzeorum, & Gesluræorum excursiones faciebat, prædam abigebat, & ne apud regem Achis deferretur, nulli sexui, aut ætati parcebat. Cùm autem nullus cladis nuncius superesset, apud Achis simulabat, se è Judæis prædam illam agere. Et hoc fecit anni, & 4. mensium spatio, quoad mortuò Saul rex salutatus est. 1. *Reg.27.*

Artoxerxes Persarum rex, contra Cadusios suscepta expeditione, cùm ad diversorium quoddam regium descendisset, ubi eximii erant, & magnificè instructi horti, vivariaque ferarum: circumjecta autem regio nullis arboribus vestita, & nuda rigeret gelu: concessit militibus, ut ex hortis, G
atque vivariis arbores cederent, ac lignarentur, neque picea abstinerent, vel cupresso: Dubitantibus illis, & temperantibus propter pulchritudinem, & proceritatem arborum, correpta ipse securi maximam, & præstantissimam arborem dejecit. Hinc lignantes, & frequentes pyras excitantes commodè noctem transegere. *Plut. in Artoxerxe.*

Chabrias ex suis decem velocissimos in singulas naves imposuit, & noctu in hostile solùm emisit, atque prædam ex regione agere jussit. Cives ex urbe suis rebus opem ferentes, capturi prædatores erant. Ille confestim ad urbem navigando, eos de urbe tuenda cogitare coegit. Proinde naves ad terram appellens, acceptis scutatis, & præda, quam ceperant, discessit. *Polyæn. lib.3.*

Idem cùm electi sufficerent ad implendas naves centum, & viginti, esset autem ei opus solùm sexaginta navibus: jussit eos, qui remanebant, iis, qui navigaturi erant, ad bimestre annonam ministrare, aut ipsos navigare. Ipsi ergo lubentes dederunt ea, quæ præcepit. *Aristot. in Oeconom.*

Timotheus, cùm quadraginta naves haberet, volens ex his quinque præmittere, complurium dierum commeatu instructas: cùm stipendia dare non posset, præceptum dedit, ut H
D num incurrens, eum profligavit. Itaque Metellus Aquino omnes naves solverent, quæ triplum commeatum haberent. Cùm ad insulam quandam appulissent, triremium præfectos jussit ex singulis navibus duplum commeatum ad se adferre, eumque in quinque naves distribuit, ipse cum triginta tribus ad pristinam stationem rediit. *Polyæn. lib.3.*

Anaxarchus, cùm irruente tempestate cognovisset ante Alexandrum lignis vacuum locum castris capturum esse, omnibus vasis, & supellectili in stativis defossis, calones lignis oneravit. Cùm igitur ad eum locum ventum esset, & signa deficerent: omnes Alexandri mensæ comburebantur, ut sese calefacere posset. Quodam nunciante, apud Anaxarchum ignes extare, contulit se ad ipsum, & in Anaxarchi scena sese calefecit: audiensque providentiam, collaudavit: & quæ abiecerat, duplo restituit, tum vasa, tum vestes, quoniam ipsius igni fuerat usus. *Ælianus de Var. hist. lib.9.*

Hircius, Mutinensibus obsessis ab Antonio, salem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per æmnem Saturnum intromisit. Idem pecora secunda aqua dimisit, quæ ex-
A cepta sustentaverunt necessariorum inopiam. *Frontinus lib.3. cap.14.*

Cùm Tarentini à Romanis obsiderentur, periculumque esset, ne fame ad deditionem impellerentur. Rhegini decimo quoque die jejunium decernentes, victum concesserunt Tarentinis. Proinde cùm decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini, festum constituerunt, quod Jejunium appellabant. *Ælianus de Var. hist. lib.5.*

Hannibale obsidente Casilinum, Romani farinam doliis secunda aqua Vulturni fluminis dimittebant, ut ab obsessis exciperetur. Quibus cùm obiecta per medium amnem catena Hannibal obstitisset, nuces sparsere, quæ cum aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu sociorum necessitatem sustentaverunt. *Front. lib.2. cap.14.*

L. Paulus Æmilius, cùm ad Olympum montem contra Perseum castra haberet, & infestaretur potus penuria exercitus (exiguus enim, & pravus scaturiebat juxta mare) videns excelsum, & nemorosum montem imminentem Olympum, ac coniiciens sylvæ virore habere eum laticum scaturigines, quæ in immò clam fluerent: lacus iis, & puteos frequentes ape-
B ruit latere montis, & qui mox rivis affluentibus impleti sunt trâctu, & impetu ejus, quod astrictum antè fuerat, ad vacuum delato. *Plut. in Plato.*

C. Marius Cos. IV. ubi Cimbros propè esse intellexit, raptim superavit Alpes, ac castris ad æmnem Rhodanum communitis, convexit assatim eò commeatum: ne unquam nisi postulante usu ex necessariorum inopia dimicare cogeretur, subvectionem eorum, quæ essent exercitui opus, cùm antè longinqua, & sumptuosa mari fuisset, expeditam effecit, & celerem. Nam ostia Rhodani, maris refluxu magna vi limi oppleta, arenaque alto cœno à fluctibus astricta, periculosum, morosumque, & angustum navibus frumentariis eò reddebant decursum. Huc exercitum otiosum convertit, fossamque grandem duxit: quò magna fluvii parte detorta, deduxit illam ad opportunum littus altam, ac magnorum navigiorum patientem, quæ planum haberet, & tranquillum ad mare ostium. Hæc nomen ab illo etiam hodiè retinet. *Plut. in Mario.*

Cn. Pompejus contra Mithridatem profectus, cùm is mon-
C tem validum, & munitum, in quo castra habuerat, quasi aridum reliquisset: eum ipse repentè occupavit, atque ex fruticum indole, locorumque convexitate coniiciens, subesse ibi fontes, imperavit puteos passim deprimi, fuitque in castris statim aquæ affluentia, ut miraretur, tamdiù id Mithridatem fugisse. *Plut. in Pompejo.*

Metellus in Hispania contra Sertorium bellum gerebat. Advertens ergo Lagobritas, qui non parum præsidii Sertorio ferebant, facilè capi siti posse (nam unicus in urbe erat puteus, Rivuli autem, & fontes, qui in suburbiis extabant, & sub mœnibus, in potestate futuri erant obsidentis) ad oppidum movit, biduo sperans, se capturum aquæ penuria urbem. Quare edictum fuerat militibus, ut quinque tantùm dierum cibaria secum ferrent. At Sertorius huic rei providere maturans, bis mille utres aqua jubet impleri, magno præmio in singulos utres pronunciato. Quod frequentes Hispani, frequentes item Mauri suscipiunt: ex quibus delectos viros valentes pariter, & pernices mittit per montana, edicitque iis, ubi tradiderint utres illis, qui tenerent urbem, inutilem turbam, ut educerent. Interea Metellus Aquinum cum sex millibus militum frumentatum mittit. Sertorius in redeuntem Aqui-
D num incurrens, eum profligavit. Itaque Metellus Aquino recepto, qui cum armis equum amiserat, fœdè solvit obsidionem, multis conviciis ab Hispanis laceratus. *Plut. in Sertorio.*

Romani à Totila Gothorum rege obsessi, quicquid foli intra muros suit vacuum ædificiis, inararunt, sparseruntque triticum. Quo contigit, ut priusquam commeatus deficeret, matura sit seges urbe defecta. Erantque per hæc Romani diù laturi obsidionem, servassentque postremò urbem, ni Isauricorum militum fraude fuisset Gothis tradita. *Sab. lib.4. Enn.8. & Jo. Magnus lib.24. cap.6.*

Gothi duce Vitige Belisarium Romæ obsidentes, aquæductus omnes interruperant. Erant hi quatuordecim numero, mirabili arte erecti, per quos aqua in urbem labi consuevit. Afficiebat ea aquarum interruptio Romanos, & Græcos non parvo rerum incommodo: præcipuè tamen in necessario usu pistrinorum; quæ sine illis aquæductibus penitùs inutilia redebantur. At Belisarius tot incommodis occursurus, remedia excogitavit. Bini lembi parvo inter se distantes spacio tignis conjuncti, molas in medio continebant, quæ rapido fluminis cursu volvebantur: funes verò ab utraque ripa, B
quam maximè intenti, lembos in flumine sustentabant: hujusmodi lembos secus pontem, qui trans Tyberim ducit, collocavit. Post eos lembos alios eodem ordine posuit: quibus ne hostes mittendo de superiore loco materiam, & ignem officere valerent, catenæ in flumine ad ipsum pontem objectæ, omnem materiam excipiebant, exceptam autem homines ab utraque ripa depositi auferebant. Itaque lembi pistrinorum usum largissimè (ut etiam hoc nostro tempore fit) compensabant: aquarum verò defectum Tyberis abundè sustentabant. *Joan. Magnus lib.11. & Sigon. lib. 18. Imp. occid. ex Procopio.*

Gothi, & Sveci obsessi, penuria aquarum urgente, velis concavis longa extensione à superioribus tectis suspensis, ac dilatatis, & funibus cuneato situ versùs ima depressis, desuper casuras pluvias, aut rores excipiunt. Imbres enim nivium resolutione adeò copiosi torrente solo è montibus descendunt, ut cunctis tam hominibus, quàm bestiis sufficiant ad necessitatem. *Olaus lib.9. cap.40.*

Gothorum, & Sueonum vetustus mos est, ut singuli siliginæ farinæ quantitatem in faccis ad hoc dispositis, re- F
trò sellas equitum, unà cum lamina ferrea alligent, confestimque, ubi res postulat, igne structo, laminæ ferreæ pastas imponant, panum tanquam in clibano conficiendorum. Eadem lamina more clypei (in cujus modum formata est) corpora sita protegunt, geminam, ac summè necessariam militaris industriæ opem ex una re prudentissimè mutuati. *Olaus lib. 9. cap.41.*

Romam obsidebat Vitiges Gothus. Belisarius cum suis summa premebatur annonæ inopia. Justinianus Constantinopoli commeatum mittit. Qui ne ab hoste interciperetur, Belisarius hoc stratagemate usus est. Sub id tempus, quo hi erant urbem intraturi, hostium castra adoritur, facitque eruptionem per Flaminiam portam. Equites verò levis armaturæ jubet ad hostium castra equitare, illosque tumultuosè ad pugnam elicere: mox conserta pugna paulatim cedere, hostemque procul à castris distrahere. Quòd cùm illi graviter facerent, esletque jam propè urbem ventum, tum simul ab his, qui per Flaminiam portam emissi fuerant, factus est clamor à tergo: & equites, qui fugam simula- G
verant, ferociter ad pugnam revertuntur. Sic Barbari ancipiti metu perculsi in medio cæduntur, simulque auxiliares copiæ, & commeatus in urbem tutò recepti sunt. *Sab. En.8. lib.3.*

Sphendostlabus Rossorum princeps, obsidione ab Imperator Joanne Zimisca Dorostoli cinctus, cùm jam consumptis alimentis penuria imminet: observata nocte illa, in quam imbres magni, & tonitrua horrenda inciderant, cum duobus virorum millibus lintres conscendens, ad quærendum victui necessaria navigavit, collectisque necessariis rediit. *Cedrenus.*

Zischa Boemus, qui Thaboritarum ductavit exercitum, villam quandam in Austria cùm diripuisset, neque invenisset armenta (nam illa in insulam Danubio cinctam transvecta fuerant) conquisitis à proximis villis duobus vitulis totidemque suibus, eos è regione insulæ, tam diù verberari jussit, donec mugitum, grunnitumque vaccæ, suesque exaudientes ad ripam suam tranarent. Qua prudentia cùm multa armenta intercepisset, & adduxisset non modicam prædam ad suos portavit. *Æn. Sylv. l.2. Comment. de rebus gestis Alphonsi, & Bonfin. Dec.3.* H

Taberlanes, quamvis ingentes duceret copias ad xii. centena millia, commeatu tamen semper abundavit. Castra enim in urbis modum erant ordinata, definito cuique artificio, loco proprio, ut omnia vitæ, usuique necessaria in promptu essent, neque ullis latrociniis locus esset. *Cuspin.*

Michaele Palæologo Bizantium obsidente, Latini Balduino imperante ad tantam egestatem redacti sunt, ut ob lignorum inopiam plurimas, & pulcherrimas urbis ædes destruerent, ut necessariis ignibus materia suppeteret. *Gregor. lib.4.*

Eo bello, quod Florentini contra Lucenses gessere, magnam sibi gloriam Lucenses, & nomen apud populos Italiæ omnes comparatunt. Pressi enim gravi, ac diuturna obsidione, perpessi rerum omnium inopiam, lignandi copia nulla, sorte ductis civium nominibus, quorum ædes in urbe habebantur, eas demoliti, tignis, cæteraque materia lignorum vice usi feruntur. *Brutus lib.1. hist. Flor.*

Obsesso à Maximiliano Imperatore Patavio, cùm metuerent

Veneti